
N
Fricit


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X V I
G
45
NAPOLI



FR. VINCENTII FASANELLII

A S. LAURENTIO ORD. MINOR. OBSERV. CITERIORIS PROV. CALABRIÆ L. J. ET IN CONSENTINO LYCÆO STUDIOR. PRÆFECTI

A R S.

INQUIRENDÆ VERITATIS

In usum studiosæ Juventutis nova methodo, novoque ordine tradita.

L I B R I IV.

Ad usum F. pertinet Carmeli



Conventus ad Conv.tu S. M.a S. Anni

NEAPOLI MDCCLXXXVII.

EX TYPOGRAPHIA URSINIANA

PUBLICA FACULTATE

Qua eundum , non qua itur .

Fere (*a*) Seneca cap. I. *de Vit. beat.*

(a) *Fere* , inquam . Nam locus acerbiſſimæ repreheníionis plenus adverſus eos , qui in philoſophando pecudum more ducuntur , eſt : *Pergentes , non qua eundum , ſed qua itur* . Quare non quod expreſſe , ſed quod tacite impliciteque monet Seneca, id nos commodius opportuniuſque expreſſimus in *Lemmate* .



A. R. P.


FR. SALVATORI VENETIANO

A CAMERATA, ORD. MIN. OBS. PANORMIT. PROV. L. J. JAM MINISTRO PROVINCIALI, ATQUE S. OLIM OFFICII PER UNIVERSAM SICILIAM CONSULTORI, ET QUALIFICATORI &c. &c.

MECŒNATI SUO AMANTISSIMO.

FR. VINCENTIUS FASANELLIUS E. O.

F.



Ici tandem, Vir clarissime, ipsomet adprobante, ac per epistolas suas fere me incitante generali Ministro, potentissimos renisus tuos; quos emollire paullatim, Teque in arden-

tissima animi mei vota pertrahere, res ardua nimis videbatur, ac difficultatis plena. Vici, inquam: quandoquidem Opella, ad studiosam juventutem curatius, ac utilius instituendam ordinata, atque Ars inquirendæ veritatis *ob id a nobis inscripta, publica nedum luce perfruituro, sed & illustri quoque nomine tuo exultat lætabunda, ac validissimo patrocinio communitur. Renuebas Tu autem fortiter, maximaque cum cordis animique mei tristitia ac mœrore haud adquiescendum putabas, veritus, ne ea occasione eximiæ virtutes, dotesque illæ tuæ in publicum prodirent; ac ita incomparabilis modestia tua, cujus scrupulosissimus zelator existis, gravissimas offensiones pateretur. Sed procul, quæso, vanæ trepidationes! procul importunæ formidines! procul timores panici!... Quid enim dicere de Te unquam orando potero, quod omnium in oculos jampridem non incurrerit? quod omnium non excitarit admirationem? quodque omnium plausus, ac præconia longe lateque non meruerit?*

Prin-

Principio illustres Disciplinarum cathedræ, quas docte, sapienterque regebas olim, ac moderabaris, cuique notæ. Tum ad totius provinciæ Præfecturam omnium plausu & acclamatione quum eveheréris, ab excell. Domino Marco Antonio Columna, Stiliani Principe, Siciliæque Proregè, totaque Panormitana Civitate magna curruum pompa & apparatu splendidissimos Tibi collatos fuisse honores, felix rumor circumquaque exinde diffusus nondum plane conticescit. In eo autem munere obeundo quanto cum zelo, quantaque cum prudentia, ac dexteritate regularem disciplinam vel florentem firmaveris, vel collapsam restitueris, hinc alliciendo dociles, illinc compescendo superbos, ubique honestos viros præmiis ac laudibus cumulando, nulli prorsus ignotum. In sacris quoque Missionibus per Panormum, civitates, & oppida contermina longo annorum ductu ineundis, domos ubique reliquisse incolas sine habitatore, ut ignita eloquia Dei ex ore tuo inaudirent,

atque, spretis sæculi illecebris, ad pœnitentiam converterentur, circumvolitans undique fama adhuc mirabunda concelebrat. Quanta item cum sapientia, ac nominis tui gloria Consultoris, & Qualificatoris S. Officii munia per universam olim Siciliam expleveris; adeo ut Collegis tuis ceteris, iisque sapientissimis, maximæ admirationi esses, & exemplo; sicula natio tua omnis etiamnum læta proclamat. Adsertam per Te insuper, acerrimeque vindicatam ordinariam generali Ministro jurisdictionem, soluta provincialium Comitiorum vincula, multaque alia apud regiam Majestatem in pace composita; præterquamquod ipsemet generalis Administer in autographis epistolis suis ad Te datis grato, sinceroque animo profitetur; recentissima quoque ea res est, ac omnium in ore, & laude adhuc constituta. Siculorum præterea Principum, Procerumque neapolitanorum, necnon summorum Ecclesiæ Præsulum, aliorumque virorum præstantissimorum domesticam tecum

con-

consuetudinem ac familiaritatem, nedum demirati quotidie omnes, sed & in dies demirantur. Quid plura? Nulli prorsus impervium, graviores curas tuas in id maxime esse intentas, ut in timore Domini, in politiori eruditione, in doctrina sana ubique instituantur juvenes: ut perpoliantur literæ: ut seraphici Instituti honor ac decus augeatur: ut arceantur undique mala, ac bona in eo cuncta florescant: ut arctissimo caritatis vinculo inhæreant Capiti membra, ab eoque opportune foveantur: atque Dei honor & gloria, quam sive cogitando, sive loquendo, sive quidvis agendo præcipue spectas, longe, lateque prolatentur. Eo namque confluunt frequentissima, ad juventutem præsertim, sanctitatis monita. Eo præclara virtutum exempla. Eo in pravos, devíosque mores odium implacabile. Eo memorandi sermones illi, incredibili cum animi zelo ac fortitudine ad summum pontificem Pium VI. coram ipsomet admirante, ac stupente generali Ministro bis, ter,

quaterque fusi. Eo ad clementissimum regem nostrum Ferdinandum, quem Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis ad populorum felicitatem diu sospitem servet, non absimiles, nec dispari cum constantia, animique zelo plures habitæ orationes: ut suprema nimirum auctoritate coercita falsorum quorumdam fratrum audacia, qui Ordinis probro ac dedecori nati, sanctissimas Majorum leges & instituta pervertere, ac deturbare conabantur; nulla in iis immutatio fieret, eademque in posterum diu jam inducta persisteret disciplina. Atque eodem postremo nonnullorum evulgatio spectat asceticorum Opusculorum, in primis vero eximii illius, quod a doctissimo auctore P. Flaminio a Latera conscriptum, ac per te typis viterbiensibus denuo recusum inscribitur. Difesa dell' antico metodo della Via Crucis, e censura del nuovo: *tum alterius, cui titulus:* Il celeste segreto per ottenere ogni bene dal grande Iddio delle onnipotenze, scoverto dall' ine-

inesplicabile valore della limosina a benefizio de' ricchi, *quod in editione neapolitana nova Præfatione, plurimisque eruditissimis additamentis exornasti, ac locupletasti. Mitto excelsi animi tui immortalia monumenta cetera: quibus quum jamdudum publice plaudatur ubique, ac festive ab omnibus concinatur, non est, amantissime Parens, cur ipsa Opellæ hujus nostræ nuncupatione delicatiori modestiæ tuæ vim ullam inferendam pertimescas. Multo minus ea vis pertimescenda ex Majorum splendore, ac præstantia tuorum, nobilissimæ in primis Suteranæ familiæ, ad quam materno stipite spectas*, de Arnone: *tum magni illius Traini, avunculi tui, & Episcopi Agrigentini; ex cujus nepte, excell. Duci Palmæ, ac Principi Lampadusæ sacro connubii vinculo copulata, prodiere eximia illa sanctitatis lumina, cardinalis Thomasius, & soror Maria Crucifixa, de quorum* Apotheosi *felici cum successu Romæ agitur apud S. Sedem. Nam & pu-*

& publica ea quoque generis tui ornamenta sunt ; & non tam tua , quam extranea, & aliunde mutuata reputanda. Illud vero, quod aliquot ab hinc mensibus, quibus Superum favore dulci heic tecum contubernio fruor, in memet tacitus sum expertus, ne eidem modestiæ tuæ offendiculo esse videar, æternum secreto mihi erit in vulgus numquam immittendum : me scilicet humanitatis , & comitatis , necnon ceterarum virtutum tuarum fulgore , velut fascino quodam & magico incantamine adeo fuisse captum, ut ne momento quidem, si fieri posset, abs Te abesse ullibi optarem. Cui simile aliud in arcanis animi mei votis eadem de causa alte reconditum ; ut nedum scilicet cœnobiis, ac provinciis singulis, sed & Familiæ maxime universæ totidem præfici vellem SALVATORES: *ratus, sub tam faustissimo nomine (quod non sine sapientissimo Dei consilio Tibi impositum reputandum), subque tua pervigili cura, prudentique gubernio Ordinem ipsum , sublatis nævis omni-*

omnibus ac deliquiis, quæ sæculorum diuturnitate, aliisque infaustis de causis subire alicubi coactus est, in pristinam sanctimoniam ac majestatem brevi esse rediturum. Quæ quum ita sint, eadem, qua cetera soles, humanitate & comitate, abruptisque insuper ac propulsatis molestis illis & importunis cunctationibus omnibus tanto Viro indignis, excipe jam, Parens amantissime, munusculum, quod animo eximiis beneficiis tuis æquali, nec veneratione & obsequio illustribus promeritis minori exhibendum Tibi censui, dicandum, consecrandum. Exiguum Tibi fortasse videbitur foliorum numero: verumtamen satis magnum, ut spero, reputabis argumentorum præstantia, gravitate, & utilitate. Ceterum id etiam Tibi satis abundeque compertum, Vir præstantissime, qui benefactori videlicet, ac Mecoenati suo, quantumlibet inclyto & illustri, ex animo sacrat quodcumque potest, eum proculdubio sacrare nimium, sacrare omnia. Quo in loco memorandum mulierculæ hebrææ exemplum,

plum, de quo in Evangelio. Ea quamquam nonnisi dragmam in Templi thesaurum voti causa injecisset; nihilominus perexiguus hujusmodi nummulus, famelico ipsius ori jejunoque ventri subtractus, multo gratior, Servatore teste, & acceptior Deo fuit, quam ponderosi quique nummi aurei & argentei, quos prædivites eodem inferebant, & epulones. Quod reliquum est, id alta mente reponas, velim, Parens amantissime, me, etiamsi fractus illabatur orbis, *ab humili, sinceroque obsequio ac veneratiane Tui ne latum quidem unguem fore ullibi recessurum. Vive interim, ac vale: atque Deus O. M. ad majorem nominis sui gloriam, ad universæ Familiæ decus, ad virtutum incrementa, atque ad dulce, suavissimumque animi mei solamen et gaudium diu servet incolumem.*

Dabam Neapoli ex sacris S. Mariæ Novæ Ædibus Kal. Octobris 1786.

STUDIOSÆ JUVENTUTI CONSENTINÆ

FR. VINCENTIUS FASANELLIUS

S.

I. Cce ſecundo ad vos, conterranei Juvenes amantiſſimi, quamquam ſero fortaſſe nimis, ac multo poſt quam pollicitationes alibi meæ (*a*), veſtræque juſtæ expe-

---

(a) Promiſſiones de edendis *Inſtitutionibus philoſophicis* factæ a nobis fuere Tom.II. alterius Opuſculi noſtri, cui titulus: *Veritas reſurrectionis J. C.* &c., an. 1771. typis Simonianis in lucem editi. Sed proh! quam incauti, imprudenteſque ſumus, quum velut futurorum domini arbitrique hæc facturos nos eſſe jactamus, illa omiſſuros! Nam ea plerumque humanorum ingeniorum arrogantia, ut pervia ac facilia velut erubeſcentia, in invia, inacceſſa, tetraque caligine obducta pertinacius ingredi, ac penetrare contendant. Quare fit, ut in inſuperabiles ſcopulos, aggereſque illiſa, non ſine humiliante, mortificanteque verecundia aut *ſtationaria* prorſus plerumque reddantur, aut etiam, quod probroſius, *retrograda*.

pectationes ferre posse videantur. Verum quum morborum hæmorroidalium meorum, quibus acerbissime diuque vexatus, vosmet fueritis oculati testes, ac spectatores persæpe mœrentes; ea de causa supervacaneum prorsus fuerit longævæ moræ hujus rationem vobis reddere, ac molestam de ea historiam enarrare. Diu itaque infaustis his de causis mihi silendum fuit: paratus nihilominus æternum adhuc silere in posterum, atque ad amicos dolores meos complectendos, ac deosculandos denuo redire, si ita quidem Domino placuerit, cujus nomen benedictum in sæcula. Equidem plurium annorum experimento jam didici, corporis afflictationes quo acerbiores fuerint ac diuturniores, eo validius, & invincibilius propriæ nos miseriæ & imbecillitatis revincere; ac devios inde ab honestate mores in *pietatis*, *justitiæ*, ac *sobrietatis* semitas., aliarumque virtutum exercitia sollicitius commigrare. Quo spectat memorandum regii Psalmographi illud; *Bonum mihi, quia humiliasti me; ut discam justificationes tuas*.

II. In horum interim malorum induciis, quæ inconstantia ac variabilitate sua

pe-

nescio, quousque sint duraturæ, *Artem inquirendæ veritatis* furtim pene vobis sisto, tamquam illam, quæ ad vestram in primis utilitatem & commodum magna ex parte aucta fuerit, perpolita, in lucem edita: ut si docere fortasse verum, bonumque de more proponere non amplius possim; quemadmodum scrutari illa in scientiarum studiis, & assequi debeatis, adcuratiorem saltem methodum, & ordinem exactiorem vobis aperiam. Excipite ergo illam lubenter, gratoque animo; sicut pari erga vos dilectione, jnvandique zelo ac voluntate vobis offero. Illudque alta mente reponite, quousque per hujusmodi malorum inducias & interstitia meorum eniti potero, vestris in sapientiæ studiis progressibus & commodis amplificandis, ac perficiendis me semper intentum esse, atque paratum. Adeo nempe *Patriæ*, qua nihil carius, amor, ac nobilissimorum ingeniorum vestrorum selectior, præstantiorque cultura mihi maxime insident cordi!...

III. Sed argumenti jam ipsius, Opusculique geratim natura paullulum evolvenda (*b*). Prin-

(b) Paullulum, inquam. Nam eo plerumque animo

Principio igitur continent illud partes omnino quatuor, quos *Libros* adpello : ac Libri singuli Capita plura, quæ uno oculi ductu subsequens *Indiculus* exhibet, quem e vestigio adponendum putavi. Prior in Logicæ natura per essentiam constituenda haud ceterarum *proprie compars* est, sed earumdem potius *Apparatus*. Enimvero jampridem ea mihi scribendi ratio placuit, ut quæ sunt generaliora, parare in antecessum enitar; tum ædificii constructionem, ac formam paullatim commoliri adgrediar. Priori igitur, ut oportet, jam parata, sequitur pars secunda, in qua artem distincte evolvimus pervestigandi *veritates physicas* per externorum *sensuum experientiam*. Inde pars tertia, qua *veritates metaphysicas* inquirendi artem tradi-

mo Lectores constituti sunt, ut lustrare quidem plura avide, lubenterque velint; verum in *Operum corpore*, non in *præfationibus*, quas breviusculas amant. Contra tamen ac ego optandum putarem. Nam instrui plane antea, & erudiri in itinere ineundo quod fit *præfationibus*, vellem, quam in incertum & obscurum progrediundo vestigia anceps, dubiusque immittere. Adeo verum illud : *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno !*

dimus per *mentis rationem*. Ac demum pars quarta, qua artem quoque subnectimus pervestigandi *veritates historicas* per *auctoritatem* ad *Criticæ* leges exactam. Hæc per summa capita interna constitutio argumenti propositi, hic partium ordo, hæc natura: de quibus fuse ad calcem Libri I. tamquam in loco omnibus commodiore, & opportuniore.

IV. Scio, quæ ad aures heic mihi ingerenda velletis, Juvenum sollertissimi: eam scilicet Logicæ partitionem, eamque lucubrandi methodum ceteras, quæ hucusque prodiere, pessumdare prorsus, atque tamquam extraneas, & commentitias rejicere, ac reprobare. Sit ita porro. Numquid propterea abjicienda vera, genuina, atque a natura ipsa Logicæ non vi quadam extorta, sed ultro, sed semet, sed propria sponte erumpentia, quod veteribus, ac vulgo receptis adversentur? Equidem retinenda verera; sed quousque recentia non suppetant meliora. His substitutis, abjicienda prorsus, & antiquanda, Numne & herbis, & glandibus, & pomis adhuc vescendum agrestibus, quod vetustioribus illis cibi hi essent sapidiore

res, & delicatiores? *Qua* porro *via eundum*, eadem viros maxime philosophos incedere oportet, *non pecudum more qua vulgo itur*. Quod præclarum Senecæ monitum in superiori, ut vocant, *Lemmate* seorsum adponendum putavi.

V. Sed diducamus ista paullulum, atque quam recte, quamque juste & adcurate ea a nobis proposita fuerint & adoptata, cursim, ac velut aliud agendo demonstremus. Itaque si primum *Ars inquirendæ veritatis* Logica est, nemine diffitente: Si veritas deinde omnium quoque judicio vel *physica est*, sive sensibilium, vel *metaphysica*, sive intelligibilium, vel demum *historica*, sive præteritarum rerum gestarum: Ac si media postremo inquirendi *veritates physicas* sensuum experientia sunt, *metaphysicas* mentis ratio, *historicas* auctoritas ad *Criticæ* leges exacta; ecquis aperte non videat, non alias esse germanas Logicæ partes, quam triplicem id genus veritates pervestigandi artem, *physicas* nimirum per *sensuum experientiam*, *metaphysicas* per *mentis rationem*, & *historicas* per *auctoritatem* ad *Criticæ* leges exactam: nec alium consequenter

ter

ter lucubrandi ordinem adhibendum, quam quem tradidimus? Ac si ita se se res habet, eccur spuriis, ac nothis ceteris haud ille præferendus? Numquid ex invia in semitam regiam, unde diu jam abscessimus omnes, numquam remigrandum? Numquid eadem crambes ad nauseam usque coquenda semper, ac recoquenda? Numquid exsucca illa, ispida, atque sterilia numquam generose recidenda; nec per utiliora longe, ac jucundiora scientiæ aliquando locupletandæ ac perpoliendæ, earumque fines ulterius prolatandi?

VI. Quæ quum ita sint, satagite, oro vos, obtestorque, Juvenes ingenui, ut ea via, quam vestræ utilitati & commodo *diuturnæ meditationis ope* aperiendam, ac muniendam curavi, constanter incedatis: atque ad nobiliora, ac præstantiora continuo anhelantes, eadem via generosi ac lætabundi, quemadmodum eximia nostratum ingenia maxime decet, contendatis. Satagite, quæso, vobis repetam; propterea quod, ne obscuri aliquid & involuti remorari vos ullibi posset, neglecta laboriosissima illa & intricatissima, quam *Volfianam* adpellant, methodum quoque

 adhi-

adhibuimus aliam ubique planam, facillimam, atque ultroneo naturæ fluxui, rerumque agendarum ordini, internoque nexui ac feriei valde aptatam. Eademque de caufa fempiternos de more, & interminabiles *regularum*, *canonumque catalogos* vitandos curavimus, tamquam illos, qui multiplicitate ac variete fua memoriæ opprimendæ, atque feipfis mutuo perque vices delendis & obliterandis unice comparati nobis videbantur: quorumque loco uno eodemque calami ductu felectiora præcepta fubjecimus, quæ utilia magis, magisque ad rem facientia vifa funt. Atque ne feraciffima, æque ac Confentinum folum ipfum, ingenia veftra *fterili littus verfarent aratro*; non damnavimus, uti fit, folum, fed & generofe præcidimus etiam vana omnia, & fupervacanea, quæ ex veteri fchola deducta ad otiandum tantummodo, atque ad germanæ fapientiæ guftum retundendum comparata erant, & ordinata. Sic enim a natura conftituti fumus, ut quæ æquo judicio abjicienda putamus, abjiciamus reipfa, atque in Democriti puteum fempiterna oblivione, & anathemate immergamus. Damnare namque quidquam ut fupervacaneum & ina-

& inane, ſimulque utramque poſtac paginam eodem implere, bicalami proculdubio hominis eſt, ac probantis ſimul idem facto ipſo, tum verbis improbantis. Quo quidnam turpius, ac nativa Philoſophi conſtantia & gravitate indignius?

VII. Neque his tantum limitibus pro utilitate veſtra & commodo intentiſſimæ curæ noſtræ ac diligentiæ circumſcribuntur. Nam ulterius prætergreſſi, ac *miſcendo utile dulci*, ſtylum data opera attemperavimus ita, ut & eſſet in demonſtrando robuſtus, & in alliciendo decorus: ut ita & hinc vos docendo graviter, & illinc oblectando argute, ad germanæ ſapientiæ apicem promptius ac felicius pertingendam nobiliſſimis ingeniis veſtris latiorem ubique viam ſterneremus. Sane in micanti, venuſtoque ſcribendi ſtylo neſcio quid magici incantaminis cubare videtur, quod lectores proculdubio & ad legendum avidiores reddit, & ad meditandum inclinatiores ac procliviores. Scilicet veritas ſtylo cultiori evoluta velut adamas ſpectari poteſt in elaboratiſſimis auri foliis pulcherrime intextus, qui fulgore ſuo cunctorum ad ſe oculos, & admirationem tra-

hit. Contra vero tamquam aurum in sterquilinio, quod ad nauseam & contemptum fere incitare solet, si rudi, humili, ac barbaro, uti fit, stylo exposita fuerit.

VIII. Atque sunt ista quidem magnis ingeniis vestris, optimæ spei Juvenes, ad nobilissimarum scientiarum brevi faciendum compendium calcaria, & incitamenta potentissima. Quod si nova, & ab egregiis Majorum nostrorum exemplis deducta mihi fortasse addenda putetis: recolite, quæso, quanta sapientiæ laude, quantaque nominis gloria, ac splendore virtutum refloreant conterranei Scriptores nostri consentini, in primis vero Bernardinus Thylesius, novæ per Italiam Philosophiæ parens, ac veteris peripateticæ profligator acerrimus: tum illustris ipsius avunculus Antonius Thylesius: inde Cajetanus Argenti S. R. C. Præses, atque Carolo VI., summoque pontifici Benedicto XIII. tantopere carus: P. Franciscus Antonius Pirus, Ordinis Minimorum summum decus & ornamentum, nostrique olim amicissimus: atque ut innumeros alios prætermittam, quorum catalogum do-

docte, eruditeque contexuit cl. Marchio Salvator Spiriti in Opere, cui titulus: *Memorie degli Scrittori Cosentini*, D. Joannes Posteſtio in hoc consentino archiepiſcopali Seminario ſub illuſtribus archipræſulibus Capicio Galeota, & de Afflicto olim in *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ* cathedra auditor meus ac diſcipulus amantiſſimus, nunc doctiſſimus magiſter, ac præceptor honorificentiſſimus. Ut nihil dicam de ceteris viris illuſtribus, quorum alii vel ſplendore ſanguinis, vel amplitudine doctrinæ, vel utroque ſimul ex omni cœtu ordineque florentiſſimam Civitatem ipſam etiamnum magna copia exornant; alii ejuſdem Provinciæ civitates alias, oppida, pagos colluſtrarunt, præcipue vero de magno illo omnis literaturæ parente Vincentio Gravina, quem nominaſſe tantum, ſatis laudaſſe erit.

IX. Horum itaque, egregia pubes, doctiſſimorum concivium illuſtria vobis exempla ſpectanda. Horum æmulanda gloria. Horum tuta veſtigia perſequenda. O ſi eximios adeo viros tamquam nobiliſſimum ſtudiorum veſtrorum exemplar vobis propoſueritis! O ſi in divinas huma-

 naſ-

nasque Disciplinas ardentissimum illum, quem habuere ipsi, amorem veraci vos quoque in vobis animo excitaveritis! O si ineptissimis relaxationibus abjectis, intensissimo, quo iidem æstuabant, ardore scientias ipsas, earumque studia percolueritis! Haud jurare, si opus, vel minimum hæsitavero, brevi vos ad virtutum ac germanæ sapientiæ culmen ingenti cum gloria evehendos, ac sublimandos. Brevi selectioris simul eruditionis, ac omnigenæ doctrinæ peritissimos evasuros. Brevi vobis felices, Patriæ utiles, Deoque caros omnium plausu & admiratione reddendos. Absint itaque cunctationes omnes. Absint fluctuationes. Absint importunæ moræ. Sint, quæso, studiorum initia vestrorum jam parata. Sit constantes, nec unquam in illis interrupti progressus vestri. Sintque postremo fructus capiendi uberes, sint jucundi, sint veraces. Atque quum fausta hæc omnia, secunda, prospera, quemadmodum beneficentissimum bonorum omnium Largitorem enixe precor, vobis contigerint; nihil mihi præterea exoptandum erit ultra. Expleta jam large erunt ardentissima vota mea. Felix, lætus, planeque beatus ero. X. Va-

X. Valete interim, dilectissimi, *gaudium meum, & corona mea*; Deumque pro me orate, ut superni luminis radio collustratus in mente, ac divini amoris flamma incensus in voluntate, & sciam, quæ sibi, quæ mihimet, quæ aliis pro opportunitate debeam; & eadem, ut oportet, opere perficiam. Id est enim omnis homo. Id veræ felicitatis, ad quam tendimus, & sine qua omnia vana, adsequendæ medium. Id omnia. Valete denuo, carissimi, Deumque (quod sapientiæ initium) timete, diligite super omnia, summeque percolite. Ab eo, tamquam rerum omnium principio, faustissima initia ducant studia vestra. In eumdem, ceu rerum pariter omnium finem, ubique contendant. Nec memorandum illud de quo in divinis Eloquiis, ullibi excidat memoria vestra: *In malevolam* (peccatricem generatim intellige) *animam non introibit sapientia*: vera scilicet, humilis, fœcunda, benefica, divina; sed falsa, sed turgida, sed vana, sed insidiosa, sed terrena, & quam multo melius numquam prorsus inaudivisse fuerit, quam didicisse: quippe quæ corruptrix morum, so-

cietatis perturbatrix, religionisque hostis & inimica. Quod reliquum est, quodque simul tandem vehementer cupio: *Vosmet quoque rebus servate secundis.*

IN-

INDEX

LIBRORUM, ET CAPITUM.

ARTIS INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBER I.

PRÆLIMINARIS

AR-

ARTIS INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBER II.

CA-

AR-

ARTIS INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBER IV.

CA-

CAPUT V.

De artis Criticæ usu in historicarum veritatum inquisitione, pro varia testium ætate, numero, sagacitate, probitate, doctrina, narrandi modo, silentio, ac rerum, quas narrant, admirabilitate. §. XXXVII.

CAPUT VI.

De Critica sacra in veritatibus ad Religionem pertinentibus, atque per Scriptores divinitus inspiratos nobis traditis. §. XLVI.

FINIS.



ARTIS
INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBERI.

PRÆLIMINARIS.

De prævio ad veritatis inquirendæ artem Apparatu.

§. I. PRiorem Librum hunc *præliminarem* adpello, non quod ipse per se se interna quædam, aut essentialis Logicæ *compars* sit; quum per tres subsequentes natura & essentia ejus integra constituatur: sed quatenus generaliora principia quædam, ac notiones universaliores instar cu-

jusdam. *Apparatus* suppeditat, quibus germanæ partes ejus, corpusque integrum & construuntur facilius, & uberius collustrantur. Sit itaque ad laudem in primis & gloriam ejus, a quo est omne bonum; tum in vestram, solertissimi Juvenes conterranei, aliorumque utilitatem & commodum.

CAPUT I.

De Philosophiæ natura, partibus, deque Logicæ præstantia, origine italica, ac variis, quæ de ea prostrant, Operibus in lucem editis.

§. II. PHilosophia, cujus prior ac nobilissima pars Logica, non ipsa Græcorum *sapientia*, naturalium videlicet Disciplinarum congeries, est, sed studium, amor sapientiæ. Quemadmodum nec arrogans, superbusque eorumdem *sapiens* ipse est vir philosophus, sed sapientiæ amator, ac pervestigator: quamquam promiscue ea accipiantur in scholis longævo usu.

§. III. Sapientia autem, definiente Tullio, *est rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, cognitio*. Quæ definitio merito probata omnibus, & in scholis recepta. Vellem autem, ut *rerum* istiusmodi *divinarum & humanarum* naturam, at-

attributa, & causas non pervestigasse se tantum, uti sit, & intellexisse contentus esset Philosophus; sed ut illarum maxime *fines*, & *usus* pro sui, aliorumque utilitate & commodo sedulo inquireret, detegeret diligenter, ac fideliter communicaret. Quæ namque inquisitio nullum nobis, nostrisque similibus sive pro *vita physica* & *animali*, sive pro *civili*, ac præcipue pro *morali* emolumentum confert, vana est, & otii plena.

§. IV. Sed evolvamus ejus definitionis membra singula, atque ex eadem, tamquam ex uberrimo fonte, principaliores Philosophiæ partes omnes semet fluere commonstremus. Itaque *rerum divinarum* appellatione non Dei ipsius existentia tantum, unitas, ac perfectiones ceteræ heic intelligendæ; sed & res etiam ab ipsomet conditæ, quum intelligibiles ac spirituales, tum sensibiles & corporeæ. Item *rerum humanarum* nomine tam ipsa hominum inventa, artes puta, leges, civitates, similia, accipienda sunt, quam eorumdem præcipue mores ratione turpitudinis, & honestatis. Quum denique subdit Cicero, sapientiam *cognitionem* præterea complecti *causarum, quibus res divinæ & humanæ continentur*, eo additamento scite nos monet, virum philosophum, quo a rudi popello secernatur, divina & humana non *historice* tantum, ac *simplici notitia facti*, sed maxime per suas causas, sive per rationes sufficientes, cur sint potius quam non sint, hoc

potius modo quam alio, nosse oportere. Qua de re subsequenti capite III.

§. V. His itaque in hunc modum evolutis, nullo nunc negotio intelligent tirones nostri, ex Tullianæ definitionis hujus (§. 3.) fonte tres majores Philosophiæ partes, *Metaphysicam*, *Physicam*, *Ethicam* suapte sponte manare; quarum prior Deum ipsum, ac spiritualia ipsius opera; secunda corporea ac sensibilia; postrema tandem moralia, ac hominum præcipue mores, quatenus legibus naturæ moralibus conformes fuerint vel difformes, boni vel mali, pœna vel præmio digni, contemplatur. Quibus accedit & major quoque ipsiusmet pars altera *Logica*; quæ quum præcepta tradat priores illas ordine disponendi, lucubrandi, ac delitescentes in eisdem veritates pervestigandi, & assequendi; earumdem *animam*, *spiritum*, ac *vitam* non immerito appellaremus. Sunt itaque Philosophiæ totius partes omnino quatuor, *Logica*, *Metaphysica*, *Physica*, *Ethica*, quæ in minores postmodum partes alias pro opportunitate subdividuntur.

§. VI. Est autem Logica, de qua heic sermo, *Ars inquirendæ veritatis*. Scio, viris doctis eam multipliciter definitam, & appellatam, in primis vero *philosophiam mentis*, *artem philosophandi*, pluribus modis aliis: qui ceteroquin eodem recidunt, ut patet. Quod autem nonnullis recentioribus additum, Logicam nedum *inquirendæ*, sed & *tradendæ*, ac *docendæ veritatis artem esse*; id supervacanee,

præ-

præterque necessitatem ab illis factum. Nil quippe vetat, quominus eadem via ac methodo *in docendo* ducamus tirones, quam nosmet pressimus *inquirendo*. Qua de re suo loco. Jam vero quum *ars* omnis datis quibusdam legibus, sive regulis, sine quibus nihil fit pulcri, nihil concimni, nihil ordinati, exerceatur; hinc *ars Logica* præcepta menti philosophanti suppeditat ad delitescentes veritates apta methodo, naturali ordine, perpetuoque nexu perscrutandas, & assequendas.

§. VII. Atque ex his quidem pro aliarum studio, & assecutione Disciplinarum *Logicæ* utilitas, atque præstantia patet quamlatissime. Quod quum sedulo adnotassent viri docti, illustribus eam nominibus decorandam putarunt. Ac in primis Aristoteles, qui *organum*, sive *instrumentum sciendi*: tum Cicero, qui *facultatem, quæ per omnes Sapientiæ partes manat, ac funditur*: inde, ceteris silentio prætermissis, Augustinus, qui *disciplinarum omnium disciplinam* communi calculo appellarunt.

§. VIII. Quid heic vero dicam de origine ejus, & antiquitate? Scilicet est Logica recto, ordinatoque philosophandi studio coæva; quamquam ipsius præcepta seorsum, & pro opportunitate hinc inde fusa, ac disseminata prius traderentur; donec Zeno Eleatensis diligenter ea simul ex Disciplinis omnibus colligeret, atque in ordinatum *Scientiæ* corpus omnium primus conferret, & concimnaret; quo usus primum Socrates, tum Plato, inde Ari-

ſtoteles, poſtremo alii. Quæ quum omnium ſint judicio ſenſuque probata; intelligimus, Logicæ originem non *Græcis*, quemadmodum oſcitanter ſcripto proditum nonnullis, ſed *Italis* noſtris, ac diſtinɛte quidem huic noſtræ *magnæ Græciæ*, ad quam Elea Zenonis patria olim pertinebat, eſſe adſcribendam. Qua de re poſt Corſinium, D. Ladvocat *Dictionarii portatilis* auctorem, alioſque bene multos, legendus germanus Philoſophus, iſque præclarus, Heinnecius *Elem. hiſt. philoſ.* §. 84. ubi: *Sequitur ſecta Eleatica*, inquit, *quæ ab Elea, vel Velia magnæ Græciæ, vel Italiæ urbe nomen repetit. Inde enim prodiere Zeno Eleates, præceptorum logicorum inventor* (collectorem intellige) *Parmenides*, *Leucippus*, quos Pythagoræ in Secta italica ſucceſſores fuiſſe, ſcribit etiam Laertius *in Proemio*. Quum autem *Sinus policaſtrenſis eleatenſis ſinus* olim diceretur; inde merito conjicimus, *Eleam* Zenonis noſtri patriam ad oras ejuſdem ſinus fuiſſe ſitam.

§. IX. Zenonis Logica quouſque in Socratis, ac Platonis, qui eam magni faciebant, manibus permanſit, nullum deliquium paſſa eſt, ſed primitivum illud auctoris ſui decus, & ornamentum perpetuo retinuit. Ubi vero in Sophiſtarum, & Epicuræorum ſcholas ſequioribus inde temporibus pertranſiit, multifariam corrupta fuit, ac deformata. Quo ſpectat Gaſſendi primum *apologia* in Logicam Epicuri, tum Recentiorum labores, ac diligentiæ in per-

perpolienda, & corrigenda Logica Scholasticorum; quarum illa fœditatibus, ut fertur, innumeris, hæc inanium rerum farragine scatebant.

§.X. Itaque Recentiorum opera, ut Disciplinæ ceteræ mirum in modum auctæ, ac perpolitæ, ita & in longe meliorem, ac præstantiorem formam deducta Logica, ac volumina de ea plurima conscripta, & in lucem edita. Horum præstantiora passim censentur, quæ Vernejus, Arnaldus, Brixiensis, itemque Genuensis, aliique viri docti evulgarunt. Placet mihi Logica Heinnecii, placeretque multo magis, si sterilibus illis, ac vanis scholarum nugis, quibus scatet, esset defœcata. Quo in loco illud adnotatione dignum, in tanta logicorum voluminum copia passim minus nos cogitare recte, minusque recte philosophari. Numquid huc forsitan spectare dixerimus Buridiani asini argutam illam, lepidamque fabellam, qui, quasnam prius spicas depasceret, ignarus, intactas reliquit omnes, ac ita, quemadmodum est *in fabulis*, inter segetes fame periit? An vero id ideo fit, quia in ea sæculi pravitate, & calliditate vivimus, in qua *ars* prædiligitur *vera* potius *occultandi*, præsertim ab iis, a quibus ratione muneris, quo in Civitate funguntur, meridiana in luce ponenda ea foret, ac denudato gladio protegenda? . . .

§. XI. Novam denique *Logicæ* hujus nostræ partitionem prioris Libri hujus proponam Capite postremo; quum consectarium ea sit

ſubſequentium Capitum. Cetera, quæ eamdem ſpectant, libero cordatorum virorum judicio committo: paratus emendare potius omnia, quam in pravitate ſententiæ perſeverare. Vera enim inquiro, vera ſequor, vera amo, non mea, niſi quum & ipſa quoque fuerint vera.

CAPUT II.

De triplici animi ſtatu, ignorantiæ, ſcientiæ, errorum. Ubi de vero, ac falſo generatim.

§. XII. SI cum divinis, humaniſque Scientiis animus conferatur, triplici is quidem in ſtatu reperiri poſſe intelligitur, *ignorantiæ*, *ſcientiæ*, *errorum*. Quamquam non ſemper eo ſibi ordine ſuccedant; quum ab ignorantiæ ſtatu in ſcientiæ lumen, ac in errorum tenebras æque animus immergi poſſit. Quemadmodum vicaria ſucceſſione ab errore in ſcientiam, & a ſcientia in errorem, atque ab errore non minus, quam a ſcientia in priſtinam ignorantiam lethæa oblivione paſſim tranſire ſolet.

§. XIII. Eſt autem ignorantia pura putaque *cognitionis privatio*. Ea, quum primum in lucem edimur, eſt maxima: quæ paullatim poſtea imminuitur, prout rerum notiones adoleſcente ætate *reciproce* augentur. Quinimmo quum divinæ, humanæque res, quæ ſciri ab homi-

homine possunt, sint infinitæ; imminui ob id ea quoque ignorantia potest, scientia aucta, in infinitum; si quidem ingenio ad id idoneo studium addiderimus patientissimum, & ordinatissimum. Interim plura ex his intelligimus adnotatione digna, ac in primis neminem esse adeo doctum, ut non multo majora ignoret, quam sciat. Ideoque omnibus, ne exceptis quidem qui sapientissimi habentur, adnitendum, ut nova semper in dies pro sua, aliorumque utilitate & commodo inquirant, & in lucem proferant. Deinde nemini de ea, quæcumque polleat, doctrina, ac scientia in tanta ipsius exilitate superbiendum. Quamquam vana isthæc & ridicula *sciendi præsumptio* sciolorum, ac inflatorum, ut ita loquar, follium dementia sit, non sapientum, atque doctorum. Nam vacuæ, ac steriles tantummodo spicæ sursum, superbeque eriguntur in agro, non fœcundæ, maturique frumenti plenæ, quæ humilitatem quodammodo æmulatæ, deorsum inclinantur. Cujus ratio manifestissima. Quia vera, ac germana sapientia propriam hominibus imbecillitatem, ac insita naturæ officia commonstrando, eos reddit humiliores, & humaniores. Quare eximiam Pythagoræ modestiam imitati, non *sophi*, idest sapientes, sed *philosophi*, sapientiæ nimirum amatores dici, haberique malent.

§. XIV. Quod si ignorantiæ status cum rebus nunc conferatur, quæ nesciuntur, duo proculdubio comperiemus, quæ non sunt heic prætereunda silentio. Ac primum quidem, earum

rum aliquas ſcitu eſſe utiles, ac neceſſarias. Alterum, plurimas eſſe, quæ magis proſunt ignoratæ, quam ſcitæ. Ad priorem claſſem ſpectant, quarum cognitio ad *pietatis*, *juſtitiæ*, *ac ſobrietatis officia* omnino neceſſaria eſt; adeout illarum inſcitia nedum damnabilis, atque probroſa, ſed & maxime quoque nobis exitialis ſit ac noxia. Ad poſteriorem, quæ ſcitæ vel nullam nobis utilitatem adferunt, vel impediunt majorem, vel etiam aut cupiditatem extimulant, aut concitant affectus, aut nova nos in vitia præcipites trahunt. Quo ſpectat graviſſimum Taciti illud de rudi Germanorum populo *ſanctius*, ut ipſe loquitur, *apud oceanum vitam agente*, quam Romæ fiebat in tanta illa flagitiorum ſcientia, crebriſque exemplis. Quod & in colonis quoque noſtris cernere licet, qui, quanto minus civitatem frequentant, tanto civibus ſunt ſimpliciores, & honeſtiores.

§. XV. Quo autem *ſapientiæ*, & *errorum ſtatus* evolvamus, quæ *vera*, quæ *falſa judicia* ſint, prius expendendum. Principio *veritas* generatim in conformitate ſita eſt, ſicut viciſſim *falſitas* in difformitate. Quocirca *vera* dicuntur judicia, quæ rebus conformia ſunt, de quibus feruntur. *Falſa* viciſſim, ſi eisdem fuerint difformia. Ita verum judicium iſthuc: *Deus ſuper omnia diligendus*; quia enti ſummo ſummum debetur obſequium. Falſum contra hoc aliud: *Deus eſt peccati auctor*; quia cum infinita ipſius bonitate, & ſanctitate pugnat.

gnat. Ceterum ea veritas ac falsitas, quæ ex collatione judiciorum cum objectis desumitur, *logica* adpellari consuevit. Vocatur ea etiam *composita*; quia cum adfirmatione, & negatione, quæ compositionis quædam species sunt, conjuncta. Secus proinde ac est illa idearum, quæ ob id dicitur *simplex*, quatenus in puris ideis nulla adfirmatio subest, nullaque negatio. Scio, eam idearum veritatem ac falsitatem quibusdam denegatam viris doctis. Sed cur non dicendæ *veræ* ideæ, quæ rebus conformes fuerint, quarum sunt imagines? Cur non *falsæ*, quæ eisdem fuerint difformes? Cur, inquam, *falsa* non erit idea turris, quæ eminus inspecta cylintrica videtur, quum sit quadrata? Nec erit *vera*, quæ, distantia imminuta, eamdem exhibet quadratam, qualis est reipsa?

§. XVI. His in hunc modum evolutis, ambo duo reliqui status illi (§. 12.), *scientiæ* & *erroris*, erunt explicatu facillimi. Scilicet quum mens vera de rebus judicia fert, eaque vera putat, *in statu* esse dicitur *scientiæ*. Contra *in statu errorum*, si judicia vera pro falsis habeat, aut falsa pro veris. *Error* enim in judiciis falsis, quæ putantur vera, & in veris, quæ falsa censentur, sedem ac domicilium habet. Qui namque falsa judicat, scitque se judicare falsa, ab errore immunis est; licet alios pertrahat in errorem.

§. XVII. Sed monendi heic opportune tirones, ne *logicam* judiciorum *veritatem* cum *ethica veracitate*, neve *fasitatem* quoque *logi-*

cam

tam cum *mendacitate* pariter *morali* promiscue accipiant. Veritas namque ac *falsitas* spectatur in judiciis ex eorum relatione ad objecta, de quibus feruntur. *Veracitas* contra ac *mendacitas* ex eorumdem relatione ad mentem, a qua externis vocibus proferuntur. Hinc quemadmodum *logice vera* dicuntur, quæ objectis consentanea sunt, de quibus efformantur (§.15.); ita & *ethice* sive *moraliter veracia* adpellantur, quæ internis animi sensibus ad amussim correspondent. Vicissim ratiocinare *de falsitate*, ac *mendacitate*. Hinc *veriloqui*, & *veraces*, qui, quæ in corde, eadem & in ore habent: contra *falsiloqui*, & *mendaces*. Quo in loco perinde est, sive vocibus, sive quibuslibet signis aliis, ac nutibus utantur. Nam sunt & maniloqui, & pediloqui, & qui indiciis aliis delectantur. Sed ea ars versipellium, ac subdolorum propria est, ac illorum præterea omnium, qui oderunt lucem, ne prava ipsorum opera arguantur: nisi joco id fortasse fiat., & ad honestam animi relaxationem tantummodo.

§. XVIII. Illud etiam diligenter animadvertant iidem tirones, non omnia judicia *logicæ* subesse posse falsitati; sed ea tantum, quorum objecta ab ideis sunt distincta atque diversa; quæque occultari propterea menti possunt, ac falso consequenter judicio, aliter nimirum ac in se sunt, reputari. Ea autem, quorum objecta ipsæmet sunt humanæ mentis ideæ, nulla unquam falsitate infici, vitiarique possunt; quia ideæ ipsæ, de quibus feruntur, eidem

eidem menti sunt immediate præsentes ; nec fieri potest, ut non videamus, quæ jam videmus . Quo in loco perinde est, sive ideæ ipsiusmet mentis molimina sint, & ab ea habeant totum id, quod habent ; ut ideæ puncti e. g. lineæ, anguli, & cujusvis figuræ geometricæ tam planæ, quam solidæ; sive undecumque ad eam devenerint. Ita si de idea solis ad mentem via sensuum appulsa, ac solem ipsum palmarem exhibente dicam : *Idea solis in tam enormi distantia illum exhibet palmarem :* erit judicium verum. Quemadmodum & hoc aliud, cujus objectum idea est ab ipsamet mente efformata: *Circuli radii a centro ad peripheriam ducti sunt omnes æquales*. Hujusmodi namque circuli ideam mens sibi cudit.

§. XIX. Sed conferamus nunc tandem *ignorantiam*, *falsasque* rerum ideas cum judiciorum *erroribus*, illudque pervestigemus, sint ne eorum causæ, & quales: ut adhiberi suo loco remedia possint, quibus, quoad fieri possit, impediantur. Ac *ignorantiam* primam esse errorum nostrorum causam, nulli dubium. Quippe qui, si omniscii, ab omni quoque errandi periculo immunes essemus. Nec aliter censendum *de ideis falsis* ; quibus si careremus, nullum prorsus in errorem dilaberemur. Quum enim ad earum normam de rebus judicia feramus; vera procul dubio semper essent illa, si hæ forent constanter veræ. Ceterum quum *ignorantia*, tum *falsæ* rerum *ideæ* errorum nostrorum non sunt nisi *causæ* tantum *occasionales*.

Esse-

Effectrix enim censenda potius *judicandi intemperantia*, in quam, æque ac radii circuli in centrum, errores omnes dilabuntur. Qua de re infra: nam nunc generatim innuisse tantum sufficiat.

CAPUT III.

De necessitate exuendi mentem ab ignorantiæ, & errorum dehonestamentis, atque in veri decus ac lumen apta gradatione deducendi.

§. XX. Superioribus *ignorantiæ*, *scientiæ*, *errorumque* notionibus generatim evolutis Capite præcedenti, examini paullo nunc adcuratius subjiciendum, quæ horum naturam hominis rationalem deceant, quæ illi probrosa, ac noxia sint; ut ita promovere, ac perficere priora, tum posterioribus idonea adferre remedia valeamus.

§. XXI. Ac *ignorantiæ* quidem *statum* homini quammaxime probrosum esse, & indecorum, adeo certum & exploratum, ut nihil magis. Principio enim summa Dei munificentia collata illi *ratio* fuit, ut mentem excoleret, ac veris rerum ideis informaret. Tum proposita eidem tot tamque pulcherrima, ac nobilissima ad pervestigandum objecta, quot rerum

rerum quum ſpiritualium tum corporearum conſtituunt univerſitatem ! Deinde inſita quoque ad ignorantiam excutiendam naturalis propenſio, ac fatalis, prope dixerim, inclinatio, quam cernimus & in pueris, qui perpetuo irrequieti, donec res per ſuas cauſas norint. Quid plura? Media tandem plurima ipſimet parata, quibus in *ſapientiæ* cognitionem, & aſſecutionem deveniret. Nec prætereundum, ipſammet ignorantiam neſcio quid pudoris, ac verecundiæ homini ingerere, quo illum de ſtupiditate, & inſcitia puniat. Scilicet quum propriis facultatibus abutimur adverſus ſapientiſſimos, ac beneficos *fines* Conditoris, ipſemet abuſus prima pæna eſt, quæ nos angit, tamquam legum naturæ moralium deſertores, & contemptores. Ac iis ea quidem pæna moleſtior in primis, atque probroſior eſſe oportet, qui ſplendore ſanguinis, ac rerum opulentia ignorantiam excutere commodius quum poſſent, tum deberent. Nam eo in ſæculo vivimus, in quo *theſauri* ac *ſtemmata* arctiſſimo interdum conjuncta videntur cum *ignorantia* vinculo. Adeo verum, ut quæ meliora nobis ac decentiora, negligamus; ſequamurque deteriora, minuſque decentia ! . . . . .

§. XXII. Sed eſt etiam exitialis, ac noxia, ſi ea quidem ignoret, quæ ſcitu illi neneceſſaria ſunt, quæ ignorare non debet. Ac illa quidem, quæ ignorari nulla ratione poſſunt, relationes omnino ſpectant, quas ad Deum noſtri conditorem, ac beneficentiſſimum proviſorem, tum ad nos ipſos, poſtremo ad alios homi-

homines habemus. His quippe ignoratis, quomodo adverſus nos ipſos *ſobrie*, *juſte* adverſus alios, atque adverſus Deum *pie* vivere ſciverimus, atque poterimus? Quod ſi ea officia explere nequiverimus; ubinam, quæſo, gentium vitæ æquilibritas? Ubinam malorum fuga? Ubinam felicitas, ad quam ſati, & creati ſumus? Neque enim ad beatitudinem aſſequendam alia nobis via parata, præterquam *officiorum*, atque *virtutum*.

§. XXIII. Quod ſi *ignorantiæ ſtatus* indecorus ſimul eſt homini, ac perniciosus, quanto magis *ſtatus errorum* ac *falſitatis*? Enimvero ignorantiam nobiſcum deferimus nativitate ipſa: aſt errores aut ſuperbia, aut oſcitantia ingerimus ipſi, propriaque culpa contrahimus. Quin ſi animum rerum ſciendarum imperitum cum animo contulerimus erroribus obruto, erit ille nudæ tabulæ, in qua nihil delineatum ſit, ſimillimus; hic vero tabulæ larvis, monſtris, fœdiſque picturis aliis deformatæ. Quid enim errores ſunt, niſi voluntariæ labes? Niſi vitia ſponte adſcita? Niſi naturæ rationalis dehoneſtamenta, ac ſordes? Magnum quidem intellectus humani infortunium, quod ſpecula illi deſint, in quibus proprias errorum fœditates, ac turpitudines intueatur! Alioquin ſemetipſum exhorrens, & expaveſcens, eas, ut ſordes corporis, depurgaret attentius, &, ne novis deformaretur in poſterum, impenſe precaveret. Ad hæc quum mores, vivendique rationem ex conceptis

ptis opinionibus, ac judiciis instituere soleamus; pessum quoque eant *officia*, necesse est, si adversus nostri, aliorum, Deique jura erraverimus. Ac ita eadem ingruentia mala, eadem perturbatio morum, eadem infelicitas, eadem miseria. Quid enim Dei, nostri, aliorum jurium læsio; quid *pietatis*, *justitiæ*, ac *sobrietatis* contemptus adferre nobis possunt, præter Dei odium ac vindictam, præter societatis bellum, præterque naturæ ægritudines, præterque languorem?

§. XXIV. Quinimmo quum ea de re mecum ipse tacitus cogitare soleo, *errorum status* simillimus mihi semper videtur *statui belli* cum universo, ipsaque Divinitate. Unde enim bellum, si quidem juste geratur, nisi ex aliorum juribus non jure læsis? Ita qui falsa de rebus judicia fovet, atque ex præconceptis erroribus istis vitam moresque instituit, ipsarum jura lædendo, pœnas tamquam justo bello a rebus ipsis illatas luit, morbos, dolores, ægritudines, infamiam, ultionem, internos conscientiæ morsus, mala cetera. Quamobrem si *ignorantiæ*, multo magis *errorum status* homini probrosus simul, & exitialis reputandus.

§.XXV. Ceterum haud ideo putaverim, sapientiæ cultoribus, virisque doctis nulla inesse vitia. Quin insunt quandoque majora, ac fœdiora, aut imbecillitate scilicet naturæ, aut tumultuantium affectuum æstu. Tantum dico, virum doctum, officiorumque suorum bene conscium atque peritum, improbum quidem, si velit, *esse*

posse, indeque miserum, & infelicem; ast rerum sciendarum rudem & indoctum, maxime adversus eas aberrantem, velit nolit, irresistibili quodam fato hujusmodi *esse oportere*. Mores enim ex ignorantia, erroribusque profecti, ut diffidere a natura rerum necessario debent; ita erranti, & ignaro mala plurima nequeunt non adferre.

§. XXVI. Quæ quum ita sint, plane intelligimus, fugatis *ignorantiæ* tenebris, ac propulsatis *errorum dehonestamentis* & sordibus, quantum intersit in veri investigatione versari, ac *scientiæ statum* æmulari avidius, ut & naturæ decus servari possit ubique, & per officiorum, ac virtutum semitas ad felicitatis portum deveniri. Sed ea in investigatione, disciplinarumque studio apta gradatio servanda est, ut animus ad *historicam* primum, tum ad *philosophicam*, tandemque ad *mathematicam* rerum *cognitionem* deducatur. Est autem *cognitio historica*, qua rem esse, nude tantum simpliciterque cognoscimus. *Philosophica*, sive *scientifica*, qua rationem præterea illius sufficientem, cur sit potius quam non sit, hoc potius modo quam alio intelligimus. *Mathematica*, qua dimetiri quoque illam multipliciter valemus. Quarum prior popelli propria est, & rudium hominum; secunda Philosophorum, ad quos spectat rem per causam nosse; quod est proprie *scire*; postrema Mathematicorum, qui rerum præterea quantitates, vires, distantias metiuntur. Ita in lunari e. g. eclipsi nuda ipsius deliquii cognitio vocatur *historica*, quasi solius cognitio facti. Cognitio cau-

causæ, unde oboritur, puta interpositionis telluris lunam inter & solem, dicitur *philosophica*. Cognitio demum initii ecclipsis, totalis obscurationis, initii emersionis, finis, digitorum eclipticorum borealium vel australium, aliarumque rerum similium, *mathematica* appellatur.

§. XXVII. Velim autem, præter hanc gradationem, juvenes nostri ulterius progrediantur; atque in id, quod rei caput est & summa, animum præcipue intendant, ac generose constanterque assurgant. Loquor de *cognitione œconomica*, ut ego quidem appello: de cognitione, inquam, *finium*, *usuumque rerum* in propriam, aliorumque utilitatem & commodum, sive pro *vita physica* & *animali*, sive pro *civili*, sive tandem, ac imo potissime pro *ethica* atque *morali*. Hanc enim omnium præstantissimam, ac saluberrimam rerum cognitionem ut, fato nescio quo, passim video neglectam, ac vulgo prætermissam; ita ego quidem ceteris longe præferendam existimo. Adeo ut *historicam* cognitionem, tum *philosophicam*, ac *mathematicam*, & si quæ sunt aliæ, in vanis prorsus, ac frustraneis habeam sine ista *œconomica*. Ita quippe animo constitutus sum, ut quæ in communem utilitatem & commodum nullatenus referuntur, nec sterilitate sua referri possunt, otia putem, & puerorum ludos. Scilicet aut propria, alienis immotis, aut communia bona viro sollerti, utilique civi spectanda semper, summoque studio undique conquirenda, ac procuranda.

CAPUT IV.

De internis animi obstaculis pro veri inquisitione avertendis.

§. XXXVIII. Qualia animi dedecora, qualisque scatebra malorum sint *ignorantia*, & *error*; quamque propterea necesse sit disciplinarum studiis incumbere, ac in veri investigatione versari, dictum capite præcedenti. Sed quemadmodum sæpe alias, ita ea potissimum in re multa tironibus objici solent, quæ in antecessum aut amovenda prorsus, aut, quoad fieri potest, salubri, opportunoque remedio imminuenda & corrigenda. Absit namque, ut scientiis propterea terga vertant, atque in ignorantia, ac errorum cœno miserrime, turpiterque tabescant. Nam nec montes, valles, flumina, nemora, loca latronibus infesta, viarum incommoda, obstacula similia, a præconcepto nos itinere ineundo retraherent, si quidem magna nobis proposita ex eo essent bona, maximaque cum gloria nominis, famæque splendore conjuncta. Ea autem obstacula in duas classes conjicio, ut alia esse dicam *interna*, ac animo inhærentia, alia *externa*, & ab externis causis objecta. Nunc de *internis*.

§. XXIX. Ad internorum obstaculorum classem spectant, 1. mentis imbecillitas, 2. partium studium, 3. indoles minus aptata, 4. memoria labilis & contumax, 5. vis imaginatrix nimis calida, 6. nimia in voluptates propensio,

fio, 7. affectus effrænes & concitati, 8. præcipitatio mentis, judicandique intemperantia. Hæc potiora: quibus aut amotis prorsus, aut imminutis, facillimum inde fuerit cetera aut convellere funditus, aut moderari. Evolvamus singula, singulisque idonea remedia aptemus.

§. XXX. Principio *imbecillitatis* mentis humanæ unusquisque in semetipso testis est locupletissimus. Sed non eadem in omnibus. Quamobrem si eo usque illa excreverit, ut adolescentum ingenia fere (quod tamen rarissimum) plumbea sint; literarum studiis vale dicant, solique *Religionis*, ac *naturæ catechismo* perdiscendo incumbant. Alioquin qui probi christiani, honestique cives fuerint? Sin secus; quamquam ingenio, acumineque non admodum præpollentes, tamen die noctuque, quoad fieri potest, enitantur. Quid enim imbecillius aquæ gutta? Ea nihilominus vel durissima quæque saxa temporis diuturnitate, idest *non bis sed sæpe cadendo*, excavat. Enitantur, repetam. Nam assiduo patientissimoque studio, maxime cum addiscendi amore conjuncto, mira vis inest ad immensos in sapientia progressus faciendos. Non ignota loquor.

§. XXXI. Adeamus nunc *partium studium*. Vitium istuc in eo constitutum, ut quorumdam auctoritati nimium tribuamus; adeo ut fieri non posse credamus, ut vel ipsi aliquando erraverint, vel nos eorum errores detegere acutius, ac salubrius emendare valeamus. Qua de causa fit, ut eorum errata pleno pectore

 hau-

hauriamus, ac in tanta delicatiorum ciborum copia glandibus vescamur, & herbis. Quo quidnam stultius, ac scientiarum progressibus infensius? Late hoc vitium etiamnum grassatur in quibusdam claustris: latius fortasse extra claustra. Undenam alias illi *Carthesiani*, *Nevutoniani*, *Leibnitiani*, *Frankliniani*?..., Extant in idem vitium & illustrium virorum querelæ, Tullii, Senecæ, Lactantii, Melchioris Cani, sexcentorum. Nec immerito. Enimvero non minus quempiam philosophantem ab erroribus eximere velle, ridiculum; quam aliis corrigendi jus adimere, iniquum. Scilicet ut non errandi nemini jus a natura tributum; ita nec emendandi alicui denegatum. Juvenes igitur nostri viros magnos magna in existimatione & obsequio habeant, eorumque labores ceteris præferendos putent. Sic tamen eorum in studio, & lectione exerceantur, ut errata plura, ac falsa cum veris immixta eorum in operibus esse non dubitent; ideoque ut aurum a sterquilinio nimis caute secernant.

§. XXXII. Inde *indolem minus aptatam*. Ut unus idemque cibus non eumdem saporis sensum in omnibus excitat; ita nec idem gustus in juvenibus omnibus unius ejusdemque disciplinæ. Quo fit, ut alii ad eam perdiscendam promptissimi, valdeque idonei sint, ac ingentes, eximiosque in ea progressus brevi efficiant; alii contra tametsi ingenio præstantes, discendique avidissimi, operam in ea perdant & oleum. Puto, non sine occulta, sapien-

pientiſſimaque id Dei providentia fieri; ne ſcilicet ſi una eſſet eademque omnium indoles atque propenſio, major diſciplinarum artiumque pars ſine cultoribus conticeſceret, non ſine magno ſocietatis detrimento. Juvenes igitur noſtri ſi delibare quidem id genus diſciplinas velint, ad quas perdiſcendas minus ſunt natura idonei; ne ſcilicet plane hoſpites ac peregrini in iis videantur; non repugnabo. Verum ſtudium omne, attentionemque ſuam in illas ſerio convertant, in quas natura videntur procliviores, magiſque aptati. Auctor ſcilicet iis fuerim, ut ſequantur Ciceronis ad filium ſcribentis in libris *de Officiis* monitum, *ne quidquam unquam aggrediatur invita minerva, reluctante ingenio*. Quod & ipſemet vir ſummus opere complevit, dum *muſis* omnibus in quibus excolendis minus erat a natura paratus, vale dicens, totum ſe *minervæ* dicavit. Ciceronis carmen vulgo notum: *O fortunatam natam me Conſule Romam*! Juvenalis non minus, quam Martialis velut ineptiſſimum irriſere.

§. XXXIII. Tum *memoriam aut labilem, aut contumacem*. Animi vis illa, qua præteritarum rerum ideas retinemus, revocamus pro lubitu, revocatas recognoſcimus, *memoria* appellatur. Ea in quibuſdam adeo felix ac prompta, ut ſimplex oculorum excurſus ſatis ſit iis retinendis, revocandis, ac recognoſcendis, quæ leguntur. Contra in aliis infeliciſſima, & contumax; adeo ut vel nihil, etiamſi centies repetatur, excipiat, vel magno labore excepta

ſtatim obliteret. Quod quantum & tironibus tædio, & ſcientiis ipſis detrimento eſſe ſoleat, nemo ignorat. *Tantum enim ſcimus, quantum memoria retinemus*; quod eſt ſapienter Ariſtoteli adnotatum, ſi recte memini. Medebuntur autem huic malo juvenes exercitatione aſſidua. Eſt enim *memoria habitus*. Quum autem omnis *habitus* aſſidua exercitatione contrahatur, augeatur in dies, tandemque perficiatur; ita & *memoria*. Saltem id omnino frequens exercitatio efficiet, ut ſin minus verba, verborum ſaltem ſenſum retineamus: quæ haud parva compenſatio, & ad eosdem progreſſus faciendos valde utilis, ac fortaſſe utilior atque commodior; quemadmodum ego quidem haud certe errando putarem. Non enim verbis docti efficimur, ſed verborum ſenſu, ſed ſententiis, ſed rebus.

§. XXXIV. Et *vim imaginatricem*, ſive *phantaſticam*. Hac animi vi abſentia corpora tamquam præſentia, & immaterialia velut corporea imaginibus quibuſdam nobis repræſentamus. Magnum ea ſane Dei donum, ſi intra rationis limites coerceatur: quippe quum ab ea proficiſcantur artes omnes, in primis *architectura*, *ſculptura*, *pictura*, *poeſis*, *mechanica* univerſa, tum *ſyſtemata phyſica*, *machinæ* omnes, & *inſtrumenta artium*; ex quibus incredibilis utilitas & commodum in ſocietatem promanant. Contra ſi nimium incaleſcat, ut in delirantibus, mentecaptis, phanaticis, ſimilibus. Quo in caſu tetra adeo caligine rationem obnubilat, ut in veri a falſo diſcrimine omnem ei aditum præ-

præcludat, nubemque sæpe ostendat pro Junone. Quod quantum scientiis obesse soleat, nemo ignorat. Salubrius autem adversus *phantasiæ* illusiones remedium fuerit, si sub rationis imperium illam coerceamus: atque tunc solum ejusdem repræsentationibus adhibeamus fidem, quum earum conformitas cum natura rerum clare, distincteque ostensa fuerit.

§. XXXV. Media autem *phantasiam* sub rationis imperium coercendi multiplicia sunt, Potiora, quæ sequuntur; si nimirum 1. fervidum corporis temperamentum arte medica refrænaverimus: si 2. devitaverimus spectacula, quibus abnormiter incendi ea solet, ac perturbari: si 3. a comœdiarum, ac tragœdiarum, necnon a romanensium fabularum lectione nimis adsidua, atque a phanaticorum hominum consuetudine abstinuerimus. A quibus tanto lubentius ac sollicitius abstinendum, quanto ipsa per se se etiam gustum germanæ sapientiæ intercludunt, quum modum excesserint.

§. XXXVI. *Et nimiam in voluptates propensionem*. Hoc vitium sive a molli educatione inductum, sive a temperamento profectum, sive a pravis exemplis mutuatum, late grassatur in juvenibus; eosque ut laboris reddit impatientes, ita & a seriis disciplinarum studiis avertit. Eos autem heic monitos volo, ut serio apud se recogitent, voluptatem, quam cultoribus suis virtus ac doctrina parit, longe jucundiorem esse ac præstantiorem quibusvis rela-

xa-

xationibus, oblectamentis, & illecebris undecumque profectis; homineque præterea gravi, honesto, a liberali dignissimam. O si scirent, *quam dulce sit dicier*: HIC EST, *digitoque monstrari!* Quod de viris doctis scite est a Juvenale adnotatum (1). Scripto etiam proditum de Pythagora, ex novæ veritatis inventione, *de æqualitate* scilicet *quadrati super hypotenusam trianguli rectanguli cum quadratis aliorum laterum*; talem ac tantam voluptatem, tam suave, tamque dulce oblectamentum animo concepisse, ut *hecatombem* propterea diis immolarit.

§. XXXVII. Et *affectus effrænes, nimiumque concitatos*. Sunt *affectus* quædam animi commotiones ex repræsentationibus bonorum, malorumque excitatæ, atque cum præternaturalibus quibusdam motibus corporis, irritationeque telæ nervosæ conjunctæ. Hos ex ea tantum facie heic spectamus, qua magnam cum disciplinarum studiis relationem habent; quatenus vel promovere ea possunt, ac imo solent, vel retardare; ut *amor*, *odium*, *admiratio*, ceteri, qui ex horum temperatione varia oboriuntur. Hi igitur, si rationi pareant, spectari veluti totidem *vectes*, & *elastra* possunt disciplinarum studiis magno cum fructu, ac feliciori cum successu promovendis ac perdiscendis. Quorsum enim operam studiis navamus, nisi ex *scientiarum*, earumque *cultorum admiratione*, ex *amore veritatis*, ex *odio errorum*? Hinc Philosophia

amor

---

(1) Prælegantur heic, quæ in subjecta adnotatione diximus ad subsequentem §. XLIV.

amor sapientiæ, proindeque & *insipientiæ odium*, dicta. Quod si rationem, uti sæpe fit, subegerint; turbabuntur omnia, atque ea tantum *vera* putabimus, quæ nobis, nostrisque placuerint; ac ceteros insanire arbitrabimur, quacumque nitantur ratione. Ita omnis veræ, germanæque sapientiæ spes evanescet. Ergo juvenes scientiarum studiosi *veri* quidem *sciendi cupidine*, *ac falsi refugiendi odio* incalescant: nullius autem tenacius complectantur, aut refugiant opinionem, nisi ejus veritas, aut falsitas certo fuerit, evidenterque demonstrata.

§. XXXVIII. Et denique *præcipitationem mentis*, *& judicandi intemperantiam*, qua sine maturo examine judicia ferimus. Incredibile dicta est, quam vitium istuc *veri* inquisitioni, ac disciplinarum studiis adversetur: propterea quod non alia via ex ignorantiæ, errorumque tenebris in veritatis lumen transire valeamus, præterquam prævio eorum examine rite, matureque instituto. Tum maximum quoque dehonestamentum est naturæ humanæ; quum evidens argumentum ea judicandi intemperantia sit superbiæ, aut levitatis ejusdem. Opportunum autem, illudque facillimum remedium fuerit, si ex perpetua methodo judicia suspenderimus, quousque veritas pleno in lumine constituta fuerit. Quo spectat aureum Tullii monitum in priori *de Officiis: Quod vitium*, inquit, *effugere qui volet* (*omnes autem velle debent*) *adbibebit ad considerandas res & tempus*, *& diligentiam*. Sed de *internis* scientiarum obstaculis huc usque. Nunc de *externis*.

CAPUT V.

De repellendis in eumdem finem obstaculis externis.

§. XXXIX. AB *internis* progredimur ad scientiarum obstacula *externa*, quorum potiora sunt, 1. infantiæ præjudicia, 2. avaritia parentum, 3. rectorum oscitantia, 4. compendiorum lectio, 5. præmiorum desperatio. Nam de præceptoribus dicam inferius capite peculiari. Exordiamur a præjudiciis.

§. XL. Horum causæ præcipuæ sunt, nutrices, parentes, populus, ludimagistri, atque si Tullio fides in *Tusculanis*, poetæ. Quum enim ea in ætate examen de rebus instituere ipsi nequeamus, horum opiniones velut oracula spectamus, excipimusque. Ea tam altas postea in animo radices temporis diuturnitate figere solent, ut fere in naturam transeant; magnoque propterea ad scientiarum adquisitionem contendentibus impedimento sint. Plura a viris doctis ad ea deponenda, & eradicanda proposita media. Opportunius, mea quidem sententia, longeque facilius fuerit, si ad optimorum Præceptorum lucubrationes accedant prudentes, sollertesque juvenes quadam animi æquilibritate, & indifferentia: tum quæ in rationum pondus, quibus oppositæ iis veritates sensim sensimque philosophando demonstrabuntur, mentis aciem, attentionemque sedulo, acutiusque intendant. Ita quippe fiet, ut veritate per solidas demonstrationes

per-

perſpicue cognita, præjudicia ipſa tamquam falſa, & commentitia ſemet corruant, & collabantur.

§. XLI. Ad hæc quum parentum avaritiam ſcientiarum ſtudiis obeſſe dico, non de iis parentibus loquor, qui ob nimiam egeſtatem ac miſeriam liberorum ſub optimis Præceptoribus inſtitutionem prætermittere coguntur. Eo enim in caſu ſummi Imperantis eſt malo huic per publica Collegia occurrere; ne id genus juvenes; quos velut reip. ſemina ſpectare, ac revereri debemus, ſibi inutiles, aliis oneroſi adoleſcant. Loquor autem de illis, qui damnabili avaritia eam liberorum inſtitutionem negligunt; eoſque auro potius, tamquam ſi muta juventa forent, onuſtos, quam ſapientia exornatos relinquere malunt. Velim autem præclarum Poetæ monitum ii animo recogitent:

Gratum eſt, quod patriæ civem, populoque dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas . . . .

Ut prætercam, opes, etiam ſi Creſi theſauri fuerint, ſub prava liberorum inſtitutione ſtatim perituras; quemadmodum contra liberi bene inſtituti vel eas brevi comparant, ſi pauperes; vel, ſi divites, in immenſum adaugent. Quod in hac civitate noſtra ſæpe factum, ac noſtris etiam ſub oculis quotidie fieri læti obſervamus.

§.XLII. Præterea nec minora obſtacula ſunt, quæ

quæ ab iis, qui parentum loco exiſtunt, quandoque objiciuntur. Tædet autem, in eum locum inſcio fere calamo me incidiſſe, qui odibilis mihi ſemper viſus eſt, & invidiæ plenus. Ceterum dicam liberrime, quod ſentio: quippe

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor.

Itaque videmus ſæpiſſime juvenes noſtros & generoſos, & ingenio præſtantes, & perſpicaciſſimos nunc vilioribus, ac moroſioribus cœnobiorum miniſteriis deſtinatos: nunc ſtupidorum quorumdam præceptorum curæ in parvis conventibus traditos: ubique fere ſine ſtudiorum adjumentis cruda, & inhumana Rectorum barbarie derelictos; adeo ut & charta quoque ſæpe careant, & oleo, & plerumque calamo! Quo fit, ut qui Ordinis decori & ornamento, ac reip. præterea bono, & ſcientiarum incrementis nati erant, eorum, qui præſunt, ſive malitia, ſive oſcitantia & incuria, cum florentiſſimi alias Inſtituti ipſius probro ac detrimento marceſcant; atque ex illorum genere adoleſcant, de quibus Poeta:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Eſt ne deteſtabilius, ac pernicioſius malum aliud, quod ſollicitiori Majorum cura, zeloque ardentiore coercendum ſit, ac ſevere puniendum? Sed

Quid obſeratis auribus fundis preces?
Non ſaxa nudis ſurdiora navitis
Neptunus alto tundit hybernus ſalo..,

§. XLIII. Rurſus *bibliothecæ portatiles, dictionaria*, *ſcientiarum compendia* dubitari nequit, quin viris doctis magno adjumento ſint; dum

dum parvis indiciis, quæ longa meditatione didicerunt, in memoriam ea illis revocant. Verum longe majora detrimenta sunt, quæ studiosæ juventuti adferunt. Principio enim desides illos, ac laborum impatientes reddunt. Tum a magnorum Operum lectione, ac fontium originariorum consultatione avocant. Postremo illud efficiunt, ut superficiali rerum notitia imbuti, nil quærant amplius. Quare fit, ut non solidæ, germanæque doctrinæ cultores adolescant, sed centones tantum, scioli, indiculorum doctores, fuci. Quod quantum ipsis, ac scientiarum incrementis detrimento sit, quis pro merito dixerit? Ergo Juvenes nostri, si quidem *viri docti*, non *doctorum larvæ* esse velint (velle autem debent), quousque in disciplinarum studiis non fuerint valde attriti, easque ordinata methodo, seriisque meditationibus per propria respective principia plane non didicerint, id genus *compendia*, atque disciplinarum artiumque *transumpta* cane pejus refugiant, & angue. Hoc unicum, illudque idoneum tanto malo, tamque longe lateque grassanti occurrendi remedium.

§. XLIV. Tandem sua quoque, eaque satis valida, scientiarum studiis impedimenta opponit *præmiorum defectus*, *ac desperatio*. Nam ea nunc Italiæ præsertim hujus nostræ lacrymabilis conditio est, ut præstantissima ceteroquin illius ingenia ad scientias promovendas, ac perficiendas nullis præmiis, nulla præmiorum spe alliciantur, etiamsi *summos* adeant

Me-

Mecænates ...... Extant ea de re frequentissimæ eruditorum querelæ, in primis Muratorii. Malum istuc si per sæculares cœtus, maxime per Instituta regularia grassari videtur, in quibus literæ potentissima plerumque obstacula sunt dignitatibus nanciscendis; adeo ut viri docti, qui in illis magna sæpe copia efflorescunt, aptare sibi merito possint Juvenalis illud *Sat.VII.*

Nos tamen hoc agimus: Tenui in pulvere sulcos
Ducimus, & littus sterili versamus aratro.

Qua de causa fit, ut heic languescant scientiarum studia: illic eruditorum MSS. aranearum telis, pulvereque tabescant: ubique fere Instituta ipsa administrentur præpostere. Nam quod est sapienter a Platone adnotatum, *tunc resp. regitur melius, & gubernatur, quum aut Philosophi imperant, aut Imperantes philosophantur*. Ceterum non sunt propterea literarum studia abjicienda. Referantur in Dei gloriam, in societatis commodum, in privatam utilitatem. Quæ magna præmia, nec ullis unquam cum id genus dignitatibus, honoribusque comparanda (1). Quippe quæ tot curis implicitæ

---

(1) Illustre viri sapientis elogium apud Salomonem *Sap. VIII.* heic omnino exscribendum: quippe quod ad gloriam, voluptatem, & utilitatem ex *vera sapientia* proficiscentem ceteris undecumque obvenientibus præferendam, valde idoneum, & aptatum. *Habebo*, inquit, *propter hanc* (sapientiam) *claritatem ad turbas, & honores apud seniores juvenis, & acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium*

citæ, non tam præmia ſunt, quam pœnæ. Præmia tu ne dixeris, quæ corpori labores, menti ægritudines, conſcientiæ pericula plurimaque, ſtimuloſque perpetuos adferunt? . . . . Quam ſcite illud dictum: *Sicubi quies, ſicubi felicitas, in vita tantum acta privata!*

C CA.

---

tium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me: tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. Propterea habebo per hanc immortalitatem; & memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam. Intrans in domum meam conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. Eſtne quidpiam quod cum ea ſapientiæ gloria, decore, & ornamento conferri poſſit? Haud tamen diſſimulandum, de eo ſapientiæ genere Salomoni heic eſſe ſermonem, quæ, ut ibidem ſcribit, *contubernium habens Dei, doctrix eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Quæ ut nativa, vera, ac germana ſapientia, ita in tanto Religionis neglectu, aut etiam contemptu nimis rara. Quippe in quo contubernium paſſim prædiligitur hujus mundi, diſſeminatur diſciplina carnis, & opera exercentur diaboli. Quæ ſingula veræ ſapientiæ adverſa.

CAPUT VI.

De tollendo præjudicio quodam pagano, calabræ juventuti nostræ summopere noxio.

§. XLV. VEntum ad Disciplinarum impedimentum postremum, quod quum non aliarum fortasse nationum, sed *calabræ* tantum hujus nostræ juvenes scientiarum candidatos spectet, peculiari ob id capite evolvendum, ac, si fieri quidem potest, eradicandum putamus. Nam sive *patriæ* amor, qua nihil carius; sive beneficiorum vis, quæ bruta etiam animantia ad gratitudinem provocare solet; sive intimioris amicitiæ leges; aut sublimiorum denique præstantia, ac nobilitas ingeniorum ad officium istuc nos alliciat; præterire omnino illud, ac posterorum memoriæ detrahere, & occultare nec possumus, nec debemus.

§. XLVI. Consentia citerioris Calabriæ urbs est in gradu 34. min. 28. *longitudinis septentrionalis*, *latitudinis* vero gradu 39. min. 26. ad orientem Mediterranei 16. circiter milliaribus sita. Est rerum ad victum præcipue spectantium feracissima. Tum Magistratus, Sedisque Archiepiscopalis honore clara; necnon nobilium virorum cœtu, atque eruditorum, doctorumque copia illustris. Hinc duabus Academiis, *Constantium* scilicet, & *Cratyllidorum*, ac

ac regia ſcientiarum Univerſitate conſpicua. Ex oppidis præcipue, pagiſque conterminis in eam confluunt juvenes fere omnes ſtudiorum cauſa, de quorum tollendo præjudicio heic ſermo.

§. XLVII. Horum itaque præjudicium *paganum* appellamus, propterea quod ad *pagorum* præcipue juvenes ſpectet, per Urbis hujus noſtræ territorium prodigioſiſſima multitudine in montibus, collibuſque circumfuſorum. Eſt autem in eo conſtitutum, ut per ſolam hyemem, vixque dimidiam anni partem Diſciplinarum ii ſtudiis in Civitate imcumbant; tum vix labente Majo, aut Junio ineunte, neſcio quo, panico per æſtatem ægrotandi timore ad pagos, ſtudiis omiſſis, turmatim revertantur, in Urbem non redituri; niſi poſt nives, ac menſe Decembri.

§. XLVIII. Porro hæc tam longæva ſtudiorum interruptio quantum eorum progreſſibus noxia ſit, vix, ac ne vix quidem dici poteſt. In primis enim quum in pagis optimis præceptoribus deſtituantur; libris, eorumque lectioni vale dicunt: ac ita domeſticis c[illegible]is, & relaxationibus dumtaxat intenti, eorum etiam, quæ per anni dimidium in Civitate didicerant, obliviſcuntur. Scilicet ſcientiæ adquiſitio, & ſubſequens ejuſdem oblivio quum quotannis ſe ſe mutuo perimant, vel etiam clavorum inſtar quodammodo ejiciant; fit, ut iidem juvenes, licet ingenio de more acutiſſimi, ac præſtantiſſimi, eodem fere in ignorantiæ ſtatu perſeverent, tanto cum proprio, ac reip. damno,

tantoque cum Diſciplinarum, bonarumque artium detrimento.

XLIX. Quod ſi aliquibus in pagis optimis præceptoribus fortaſſe muniantur, atque ſub eorum diſciplina ſcientiarum ſtudia perſequantur; valde paucorum ea ſors eſt; nec ſimul integra. Nam quantum obſit ſcientiarum progreſſibus frequens præceptorum permutatio, nemo ignorat; eaque de re longiori fortaſſe calamo mox differemus capite ſequenti. Tum congreſſus Academicos, publicas concertationes, domeſticam cum tot viris doctis conſuetudinem, tot etiam juvenum ſcientiarum ſtudia perſequentium æmulationem, pleraque demum alia addiſcendi media, quæ Civitas hæc noſtra florentiſſima ſuppeditare illis de more poſſet, qua, quæſo, ratione compenſabunt in deſertis pagis juvenes pagani? Quin nullis ſtudia perſequendi ſtimulis excitati, nullis aliorum exemplis incenſi, nulliſque plauſibus illecti, in quidvis aliud animum attentionemque intendent, puta in venationem, ludos, relaxationes, cetera.

§. L. Neque iſtæc tantum mala ſunt eorum progreſſibus in literarum, bonarumque artium ſtudiis adverſa. Nam ſemeſtri otio expleto, nivibuſque ſufficienti copia ad refrigerandum, purgandumque aerem circumquaque per montium ſaltem cacumina lapſis, Civitatem quidem remeant ſtudia reſumpturi; verum tunc nova illis malorum genera ſuperioribus fortaſſe pejora. Enimvero conſcedentibus illis ad pagos labente Majo, eorum præceptores ſcien-

tia-

tiarum in Civitate curriculum juvenibus aliis indigenis ad autumnales usque ferias persequuntur. Quare fit, ut resumere illa cogantur per saltum, perque fragmenta; ac illas Disciplinarum partes, quæ per æstatem, menseque Novembri, ac Decembri explicatæ fuerunt, ac traditæ, omnino præterire. Ita eorum studia abrupta omnia, hiantia, perturbata. Fingi ne nunc aliud obstaculum potest eorum progressibus, ac Disciplinarum incrementis magis noxium, & adversum?

§. LI. Adeamus nunc in civitate *per æstatem ægrotandi timorem ipsum*, ex quo tot mala in scientias, earumque cultores paganos oboriuntur. Principio diuturna jam experientia compertum, quousque calor constans, & æquabilis perseverat, morbos Consentiæ prorsus conticescere, nec incipere illos, nisi circa autumni initia, menseque Septembri. Deinde illud etiam sæpissime observatum, morbos per hæc tempora acutiores esse, magisque exitiales per pagos, quam in Civitate, ubi mitiores longe observantur, ac placidiores. Quocirca per æstatem ægrotandi timor iste vere *panicus* est; ideoque paganæ juventuti generose in posterum excutiendus; nec amplius e Civitate illi abscedendum, nec disciplinarum studia interrumpenda, præterquam communibus autumnalibus feriis, ac labente Augusto; tum resumenda statim illa ineunte Novembri circa solemnia S. Caroli Borromæi, quo tempore sat refrigeratus aer, sat de more defæcatus.

§. LII. Nec quidquam est, quod his repo-

nant juvenes noſtri pagani; quinimmo plurima eaque invictiſſima, ac vulgo nota exempla habeo, quibus idem ipſorum ægrotandi timor puerilis levitatis magis magiſque revincitur, ac vanitatis. In primis vero id genus locupletiſſima exempla ſunt Archiepiſcoporum, Vicariorum generalium, regiique Magiſtratus: tum tot Monachorum, tot Juriſconſultorum, aliorumque virorum doctorum, totque archiepiſcopalis Seminarii alumnorum: tot præterea ſcribarum, tot mercatorum, tot militum, totque, tantorumque aliorum alienigenarum, qui per æſtatem e Civitate hac noſtra minime abſcedunt, quin propterea in morbos incidant; niſi aliquando forte fortuna. Id quod & in pagis quoque accidit, & ſub quovis vel placidiſſimo climate, ac ſub quavis vel perfectiſſima aeris temperie.

§. LIII. Quæ quum ita ſint; juvenes hos noſtros, quorum nobiliſſima adeo, ac perſpicaciſſima ingenia, & quibus hæc pagorum conſentinorum regio pluſquam Italiæ, ac Europæ fortaſſe totius alia circumquaque abundat, enixe præcor, obteſtorque, ut excuſſo *panico* hoc ægrotandi timore, propulſoque tam puerili præjudicio, lacrymabiles hujuſmodi ſtudiorum jacturas non amplius patiantur. Morentur heic, quæſo, Conſentiæ uſque ad communes autumnales ferias, atque ſcientiarum curriculum perpetuo nexu, & imperturbato ordine cum ceteris candidatis perſequantur. Pudeat, inquam, cum Achille muliebri veſte vileſcere in pagis, interea dum ceteri

teri commilitones cum Ulysse acerrime præliantur in Civitate! . . .

CAPUT VII.

De optimorum Præceptorum delectu; deque mutuis eos inter ac tirones officiis.

§. LIV. Ut scribendi, ita & docendi cacoethes multos extimulare solet hoc potissimum ævo nostro, in quo sæpe cathedras moderari, docendique munus exercere videas nonnullos, qui disciplina adhuc egent præceptoris. Quo nihil funestius studiosæ juventuti accidere solet, nihil luctuosius. Nam quod ipsiusmet divini Magistri ore prolatum in Evangelio: *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt*. Nolo rem hanc diducere, ne cuiquam data opera invidiam conflasse videar. Sat parentes monuisse sit, ut pro recta in literarum studiis liberorum suorum institutione, Præceptores illis eligant quamoptimos, omnique exceptione majores; si quidem prudentes rei familiari æconomos, utiles patriæ cives, ac pios Religioni cultores, prout oportet, dare voluerint. Erunt autem quamoptimi Præceptores, si his potissimum dotibus claruerint, quarum 1. est doctrina, 2. ars commentandi, 3. deligendi judicium, 4. gravitas, 5. morum probitas. 6. religionis amor, 7. docen-

cendi diligentia, 8. tandem identitas, ac perpetuitas unius ejusdemque Præceptoris. Evolvamus singula.

§. LV. Principio tironum Præceptores, quo suo muneri plane satisfaciant, Disciplinarum, quas illis lucubraturi sunt, & explanaturi, debent esse callentissimi, ac peritissimi. Alioquin quomodo aliorum Magistri esse poterunt, egentes ipsi præceptore? Erunt autem hujusmodi, si nedum proxima, & peculiaria, sed & remota etiam, & universalia illarum principia probe noverint. Si nexum sciverint horum principiorum cum suis respective consectariis; Si partium ordinem, ac relationes mutuas quum internas, tum externas cum scientiis ceteris minime ignoraverint. Si præ oculis rationes, ac fundamenta habuerint veritatum omnium, quæ in eisdem demonstrantur. Si harum veritatum *usus* ac *finis* pro hominum utilitate & commodo eos minime latuerint. Sique, ut cetera mittam, falsas in oppositum opiniones, & errores omnes nedum internoscere, sed & perspicua, solidaque solutione refellere potuerint. Quibus & discriminis quoque cognitio addenda earum rerum, quæ *certæ* & *incommutabiles*, quæ *probabiles* tantum ac *verisimiles*, quæque demum *dubiæ* fuerint. Qui talia noverint, viri docti, & ad docendum idonei censeri possunt.

§. LVI. Deinde *artem* quoque callere debent scientias commentandi, & evolvendi. Quare esse debent *in contexendo ordinati*; adeo ut probe sciant, quæ ad veritates demonstrandas ac

sta-

ſtabiliendas neceſſaria ſunt, quæ ſupervacanea; quæ lucem aliis adferre poſſunt, quæ ſecus; quæ idcirco præmittenda, quæ debent ſubſequi. Tum *in demonſtrando ſolidi, ac nervoſi*: inconcuſſa nimirum, atque perſpicua adhibendo principia, certas inſtituendo adplicationes, legitimaſque illationes deducendo. Inde *in explicando dilucidi*: quod fit proprietate verborum, clara evolutione nexus, & ordinis eorum, quæ enucleantur; atque exemplorum uſu, quæ ad rem faciunt. Præterea *in ſcribendo, dicendoque culti, elegantes, ornati*; ut quum docent, delectare etiam poſſint. Ad hæc *in judicando cauti*: opiniones ſcilicet ad *Criticæ* leges exigendo, atque pro rationum, quibus innituntur, pondere de iis judicia ferendo. Tandem ii ſint, oportet, ubique *breves*; non ea quidem brevitate, quæ obſcuritatem inducit, ſed quæ res involutas ipſa in lumine collocat. Scilicet vitanda æque illis nimia brevitas, ac nimia prolixitas: ambæ oſcuritatis fons, & ſcaturigo. Nec prætereundum, rem ſtudioſæ juventuti utiliſſimam ſe facturos Præceptores, ſi Diſciplinas *italico idiomate* jam ditiſſimo, & venuſtiſſimo, & elegantiſſimo edocerent. Ita quippe & eas adſequeretur illa promptius, ac facilius; & multo quoque citius, quam damnabili ludimagiſtrorum ignorantia, incuria, aut malitia modo fiat, earumdem ſtudia adgrederetur. Atque ea quidem de cauſa in his conſcribendis *elementis* diu ancipites fuimus, quonam idiomate, *italico* ne an *latino*, melius,
&

& opportunius uteremur. Sed prævaluit tandem *latinum*; ut italæ non minus, quam exteræ juventuti consuleremus (*a*).

§. LVII. Rursus *deligendi judicio* optimi Præceptores pollere debent plurimo. *Multa*, inquam, *prudentia* præditi sint, oportet, ut ea tantum tironibus evolvenda, ac propinanda seligant, quæ quum eorum privatæ, tum publicæ utilitati conducere videbuntur. Quocirca summo studio, summaque diligentia caveant, necesse est, ne delicatioribus, ac salubrioribus cibis per inscitiam, aut oscitantiam neglectis, glundibus eos alant, & herbis. Atque prudens qui-

(a) Quæ de scientiis *italico idiomate* in posterum tradendis heic diximus, ludimagistrorum tantum culpa, & ut malis ex eorum malitia, aut incuria studiosæ juventuti obvenientibus opportuna interim remedia adhibeantur, dicta volumus. Alioquin damnandæ, dirisque devovendæ ineptissimæ declamationes omnes, quæ adversus *idioma latinum* hisce nostris temporibus passim fieri inaudiuntur. Pendent eæ siquidem in primis ex illius imperitia, addiscendique inertia, atque segnitie. Tum ex deturpatis sæculi ideis, novisque superinductis præjudiciis; quamquam *illuminatum* illud, & *literarum*, si Superis placet, jactitemus! Nam cur abjicienda lingua, in qua viginti circiter sæculorum intervallo, ductuque continuo & constructa affabre Disciplinarum molimina sunt, & tanto cum religionis, ac societatis emolumento evoluta? Cujus concentus supra modum dulcis, ac suavis? Cujus pulcritudo & elegantia incomparabilis? Cujus vis & energia tantopere actuosior, ac penetrantior? Cujus feracitas, &

quidem, ac necessaria cautio isthæc optimis Præceptoribus cordi semper esse debet, sive proprios ipsorum labores, ac MSS. tironibus enucleent, sive aliorum Opera typis data. Nec umquam ferre debent, ut studiorum curriculum in illis operibus instituant, quæ tirones ipsi seligenda proponent; sed quæ ipsimet Præceptores utiliora, ac præstantiora judicabunt. Juvenes enim rerum imprudentes & inexperti, sæpeque indoctorum præjudiciis detenti, nubem complecti solent pro Junone. Hinc quærenti tironi philosophicarum Disciplinarum commentationem in operibus e. g. Poncii, Mastrii, Gau-

---

& amplitudo fere incircumscripta? Cujusque gravitas, ac majestas admirabilis, nullique secunda? Quid quod ea lingua in desuetudinem posita, desuescere quoque, & in oblivionem abire oporteat tot illustria Patrum, aliorumque nobilissimorum Scriptorum volumina *latine* hucusque conscripta? Qua etiam ratione scientiarum commercia servari poterunt per orbis nationes, si, abjecta communi lingua, quisque vulgaturus sit illas, & commentaturus lingua patria? Tantumdem quippe id fieri poterit, ac si, neglecto auri argentique *pretio eminenti*, rerum commercia agitari vellent. Cœci næ ea in re valde, ac stupidissimi Itali nostri, qui tantum *Latii*, totiusque Italiæ decus, & ornamentum a Francorum sic vafritie sibi præripere, ut *gallicum* illi *idioma* substituant, non animadvertunt! . . . Quid igitur? Ecce. Quæ humaniores literas sapiunt, & oblectare, ac instruere indiscriminatim lectores omnes possunt, evulgentur, ut libet, ut lubet, *lingua patria*. Cetera scientificis ingeniis, præsertim theologicis commissa, *latino* idiomati reserventur.

Gaudini, aliorumque similium; ne præbeant aures; sed ad salubria pascua in amœnis campis manu eos quodammodo ducant. Imitentur boni pastoris partes, ducendo illos *qua eundum*, *non qua itur*; ubi pinguescere, non ubi macrescere possint.

§. LVIII. Ad hæc sint etiam tironum Præceptores *viri graves*, *serii*, *maturi*; alioquin numquam illos in officio continebunt. Scilicet ea esse solet petulans juvenum indoles atque natura, ut nisi Præceptorum gravitate, ac majestate coerceatur, lycæum facile vertant in theatrum; nec literarum studiis serio incumbant. Quum autem ea morum gravitas ex provecta jam ætate proficiscatur; hinc juniores non satis idonei tironum Præceptores esse videntur. Sed ea annorum maturitas, ætasque provectior alio quoque ex capite, ac urgentiori fortasse de causa in Præceptoribus necessaria est. Jam enim paullo superius (§§. 55. *seqq.*) a nobis observatum, qua scientiarum comprehensione, qua commentandi arte, & quo deligendi judicio præditi ii esse debent, ut suo muneri plane satisfaciant cum tironum utilitate, & emolumento. At ea plena scientiarum comprehensio, ea difficillima commentandi ars, hoc non adeo facile deligendi judicium, uti *studiorum* tantummodo *passivorum*, ut vocant, fœtus esse non possunt, sed ex annosa meditatione proficisci debent; ita maturam, provectamque in Præceptoribus exigere videntur ætatem. Ceterum si qui juvenes sunt, qui & ob

sin-

singularem ingenii præstantiam has dotes jam præseferant; & ob peculiarem indolem morum gravitatem æmulentur; cujusmodi esse nonnullos exploratum est; Scientiarum hi magisterium exercere poterunt. Sed quam hi pauci, & quam multis præterea tentaminibus probandi? . . . .

§. LIX. Præterea *morum probitas*, atque *honestas* adeo in Præceptoribus necessaria, ut nihil magis. Quum enim ob eximiam eorum doctrinam & gravitatem, ac ipsum præterea docendi munus magna apud juvenes auditores suos auctoritate polleant; spectari ab illis summo obsequio, ac venerationes solent velut *prototypi*, *normæ*, *oracula* nedum sciendarum, sed & rerum quoque agendarum. Quocirca in id summo studio incumbent tirones, ut nedum opiniones, sed & mores etiam opinionibus, ac moribus Præceptorum ad amussim conforment. Ita nisi morum hi probitate, & honestate refulgeant; quæ malorum scatebra Juvenibus inde non aperietur? Præterea si tam valida, tamque efficax exemplorum vis est, & energia, ut generatim verissimum sit Davidicum illud: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris*; quod & quotidiana etiam experientia satis moerentes observamus; quam validior, & efficacior erit illa Præceptorum, quos *boni*, *veriique duces* tirones habent, ac reverentur? Quæ adeo vera sunt, ut minus noxiam, minusque perniciosam tironibus putaverim Præceptorum ignorantiam, quam morum improbitatem. Quippe quum illa ignaros eos re-

relinquit & imperitos ; hæc ſceleſtos facit et iniquos. Quod equidem longe funeſtius, ac perniciofius: ut patet.

§. LX. Item nec minus in Præceptoribus neceſſarius *Religionis amor*, *arctaque eidem adhæsio*. In primis enim nemo umquam fuerit vir probus, nemo honeſtus, niſi in Deum pius, niſi Religionis cultor. Eſt quippe in Deum pietas virtutum omnium baſis ac fundamentum; qua proinde ſublata, probitas omnis, morumque honeſtas cum ceterarum virtutum choro peſſum eant, neceſſe eſt. Tu ne in homines *juſtum* ac *beneficum*, in ſeipſum *ſobrium* ac *temperantem* quempiam eſſe poſſe putaveris, qui Deo creatori, ac beneficientiſſimo proviſori ſuo, & a quo eſt totum id quod eſt, *pietatis officia* aut negat prorſus, aut pervertit? Nec *vera doctrina*, nec *vera ſapientia* ea etiam fuerit, quæ impiis adverſus Deum, ac Religionem erroribus implicatur; ſed *falſa*, ſed *fucata*, ſed *apparens*. Quamobrem ſi *docti* (§. 55.), ſi *viri probi*, & *honeſti* (§. 56.) tironum Præceptores eſſe debent; Religionis quoque obſequio, amore, ac veneratione flagrent, neceſſum eſt. Equidem ſi concipi vix poteſt, quantum tirones a pietatis operibus avocare ſoleant joci quidam ac venenati ſales, quos adverſus Religionem eructare non pudet ſciolorum quorumdam, & garrulorum audaciam; quanto magis, ſi Præceptorum auctoritas, ac fides accedat? Quo in loco quum de Religionis amore, obſequio, ac veneratione loquor,

non

non *naturalem* tantum, sed & *revelatam*, sed & *catholicam*, sed & *romanam* intelligo. Nam æqua certitudine utraque constat, pari utraque evidentia demonstratur. Quod ego quidem pluribus ostendere possem, si locus ferret.

§. LXI. Rursus optimi Præceptores summam *in docendo adhibere debent diligentiam*. Scilicet meminisse debent, in partem paternæ educationis eos esse vocatos; ideoque nullum lapidem immotum relinquere debere, ut tirones, quoad fieri potest, in scientiis evadant doctiores, ac peritiores. Quamobrem ubi quotidianas lectiones ipsis evolvunt, stylum, dicendique rationem eorum intelligentiæ attemperent; nec explicandi, & commentandi finem faciant, nisi in plenam rerum comprehensionem eos devenisse noverint. Deinde subsequenti die ad collationem (italice *conferenza*) ejusdem lectionis omnino adigant, nedum scilicet per summa capita, & quoad sensum, sed & verbatim etiam, quoad per auditorum memoriam fieri poterit, faciendam. Prior enim conferendi modus iutellectum exercet, adauget, perficit; posterior memoriam. Ac ita etiam Præceptorum scribendi, dicendique stylum facilius contrahent tirones; atque in rerum addiscendarum, ipsarumque tandem Disciplinarum adquisitionem longe pleniorem, ac uberiorem devenient. Neque his tantum contenti sint diligentes, sollicitique Præceptores; sed opportunis quoque interrogatlonibus, & examine illos exerceant; mutuis etiam inter ipsosmet tirones concerta-

tiun-

tiunculis haud omiſſis, quibus ad æmulationem magis incedantur. Scio, in publicis Collegiis, in quibus magna juvenum frequentia, talem, tantamque docendi diligentiam cum ſingulis adhiberi non poſſe. Adhibeatur ſaltem per vices cum aliquibus; ut ita ad collationes parati omnes exiſtant. Ac ſi ne id quidem fieri poteſt; ea ſaltem non omittatur in ſtudiis, auditoriiſque privatis. Nam quod privatorum Præceptorum nonnulli faciunt, ut lectionibus explicatis, nil quærant amplius; ita ut ſive eas comprehenderint tirones, ſive non, nulla eorum interſit; ut exitiale id ac noxium tironibus eſt, ita iniquum ac damnabile in Præceptoribus videtur. Quamquam ecquis tamquam optimos Præceptores hujuſmodi habuerit ſtudioſæ juventuti præficiendos?

§. LXII. Tandem in toto ſtudiorum curriculo unus ſemper idemque, quod fieri poteſt, ſit Præceptor. In primis enim juvat plurimum, tirones eſſe ſuorum Præceptorum amantiſſimos, ac ſtudioſiſſimos. Ita quippe & ſcientias ipſas ardentius perſequentur, ac impenſius colent, & nobiliores ſubinde progreſſus in illis efficient. Hic autem amor, hæc prædilectio ut facillime erga unum eumdemque Præceptorem in tirone concipitur, intenſiorque in dies evadit; ita langueſcit plurimum, ac imo extinguitur prorſus, ubi frequens illi fuerit Præceptorum commutatio. Deinde neceſſe eſt, ut tirones in efformando ſibi uniformi, politiorique ſtylo paullatim aſſueſcant. Id autem quanto

to facillimum est sub unius, ejusdemque Præceptoris disciplina; tantumdem difficillimum, ubi Præceptores sæpe permutantur. Ut enim quisque peculiarem scribendi, dicendique stylum habet; ita alius alium perturbet, necesse est. Tandem quum Præceptores varii in varias sæpe, diversasque abeant opiniones, ac unusquisque suam propugnare, aliorumque refellere adnitatur; in magnam ob id tirones, tot Preceptores permutando, idearum incident confusionem. Atque his de causis factum esse putaverim, ut Aristoteles nonnisi post novendecim annos e Platonis schola abscesserit; ac Cicero filio suo jusserit, ut studiorum curriculum Athenis, sub eodem præceptore Cratyppo constanter persequeretur (*a*).

§. LXIII. Atque hi optimorum Præceptorum præcipui characteres sunt, sub quorum disciplina eximios in studiis literarum progressus facturi erunt tirones, si quidem serio illis incubuerint. Addamus nunc aliqua ad mutua eorum quum *justitiæ*, tum *urbanitatis* officia spectantia. Ergo Præceptores primum nullum lapidem intentatum relinquant, ut tirones magis

(a) Quæ integro hoc Capite de optimorum Præceptorum delectu, & characteribus nobis hucusque adnotata sunt, quum parentes potius, ac Præceptores ipsos maximè spectent; præteriri ob id tironibus docendo, & commentando poterunt; atque a superiori §. 54. ad proxime insequentem §. 63. per saltum statim ii poterunt, commodeque deduci.

magisque in studiis, verique inquisitione quotidie proficiant. Sedulam adhibeant sollicitamque diligentiam paullo superius (§.61.) a nobis descriptam. Id justitia exigit, id honos. Tum studiosam juventutem sibi a parentibus commissam paterna diligant caritate, ac liberaliter cum ea, urbaniterque agant. Sint illi sapientiæ exemplar, sint norma virtutum, sint ad veram felicitatem validissimum, ac perenne incitamentum. Tirones vicissim generosa stipendia, & assidua munera, sive donaria Præceptoribus elargiantur. Meminerint quippe, scientificos Præceptorum labores, & eximia, quæ inde obventura ipsis erunt, bona nulla umquam mercede, nullis umquam donariis satis compensari posse. Nec oblivíscantur, viros doctos, *tenui* plerumque *in pulvere ducere sulcos*, & *sterili littus versare aratro* . . . Postac magno illos obsequio, ac veneratione prosequantur. Nihil mœroris inferant, nihil tædii. In paternæ educationis partem admissos, spectent, ac revereantur ut parentes. Monita ultro excipiant cum gratiarum actione. Sint illis perpetuo gaudium, decus, ornamentum, atque corona.

CA.

CAPUT VIII.

De ſcientiarum in inquiſitione veri ſibi mutuo ſuccedentium ordine rite inſtituendo: & quomodo.

§. LXIV. Quavis in arte rite inſtituta præſtat plurimum internoſſe, qua ex parte ejus opera incipienda, quo perſequenda ordine, & quemadmodum perficienda. Alioquin confuſa erunt omnia, perplexa, involuta. Eſt autem Logica *ars inquirendæ veritatis* (§. *6.*), ac inquirendi præcipue illam per ſingulas Philoſophiæ partes, per integrum corpus philoſophicarum, naturaliumque Diſciplinarum. Logicæ igitur munus erit ingens corpus iſtuc, hoc magnum ædificium eo evolvere ordine, eaque lege partes ejus omnes diſponere, & ordinare, ut ea veri inquiſitio filum ſequatur, ac nexum veritatum ipſarum. Nam (quod alta mente reponendum) nexus iſte non ex hominum arbitrio pendet, ſed eſt rebus ipſis inhærens, ac veluti corda, qua res ipſæ ex earum natura, Deique ſapientia, ac voluntate vinciuntur. Quod & acute Tullio obſervatum lib. I. *de natura Deorum*, ubi: *Omnes Philoſophiæ partes*, inquit, *tum facillime noſcuntur, cum totæ quæſtiones ſcribendo explicantur. Eſt enim admirabilis quædam*

D 2 con-

continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæque videantur.

§. LXV. Intereſt autem plurimum hujuſmodi nexum, naturalem hunc rerum ordinem detexiſſe, & qua ſerie ſibi ſuccedant Philoſophiæ partes quum majores, tum minores, initio prævidiſſe. Ita quippe ambagibus omnibus ac diverticulis declinatis, veri inquiſitio, Diſciplinarumque ſtudia recta progredientur, viaque regia. Quod quantum ea reddat breviora, faciliora, ac utiliora, nemo non videt. Sed quibuſnam mediis, inquiet fortaſſe aliquis, ordinis hujus ac ſeriei initia, progreſſum, ac finem detexerimus? Quæ præcepta eam in rem Logica tradit? Ecce: 1. *Ut a clarioribus, ac facilioribus ducamus initia, tum ad minus clara, minusque facilia sensim sensimque constanter progrediamur.* 2. *Ut quæ rebus aliis facem præbent, ac veluti fundamenta iis inserviunt, præeant; quæ lumen recipiunt, ac superstruuntur, perpetuo subsequantur.* Hæc eam in rem aurea Logicæ monita, juxta quæ ſi *veri investigatio* diligenter inita fuerit, rerum nexum, ordinem, atque ſeriem conſtanter inſectabimur, nullibi ad dexteram declinaturi, nullibi ad ſiniſtram. His porro in hunc modum obſervatis, utroque præcepto iſto comite ac duce naturalem eam rerum ſeriem, quoad fieri poteſt, perſcrutemur.

§. LXVI. Ac primo omnium loco tironibus proponendam, & enucleandam putamus *Logicam*; nedum quia Diſciplinis ceteris clarior, & evi-

& evidentior, tamquam in solis *præceptis* constituta; sed maxime quia hæc eadem Logicæ præcepta lucem præbent, quemadmodum universa *inquisitio veri* regenda sit, ac Disciplinæ omnes evolvendæ. Est enim Logica *ars philosophandi*, *ars veritates detegendi*, *disciplina*, *quæ per omnes sapientiæ partes manat*, *& funditur*, *instrumentumque sciendi* (§. *6.7.*). Deinde quomodo iniri, qua ratione regi scientiarum studia possunt sine recto, adcuratoque ratiocinio? Recta autem ratiocinia format Logica. Hæc igitur scientiis omnibus præmittenda. Scilicet cujusvis artis, præceptorumque ejus comprehensio ac studium opera quævis ejusdem artis præire oportet; ut discamus primum, quemadmodum quidpiam agendum sit, tum arte illud, & consilio, non casu a fortuito agamus. Ita perdiscenda in primis *philosophandi ars*, *ars inquirendæ veritatis*, deinde incipienda inquisitio ipsa. Scio, quæ his objici possent, præcipuum nempe inquisitionis hujus medium, scilicet *ratiocinium*, duobus Ontologiæ axiomatibus, de quibus Parte III. superstrui, ab eisque suam, quantamcumque habet, firmitudinem recipere, ac robur: ideoque juxta præcepta mox (§. *65.*) tradita Ontologiam Logicæ præmittendam fore, ab eaque studiorum omnium ducenda initia. Quin ea insuper ratio tantopere adblandita mihi aliquando fuit, ut fere in eam sententiam descenderem, atque descendissem reipsa, si Ontologia *solius intuitionis puræ* axiomata ac veritates, non simul & *theoremata* plura *demon-*

 stra-

ſtrabilia complecteretur; quæ proinde ut adcurato egent ratiocinio, ita & prævium ratiocinandi artem, ſcilicet Logicam, ut omne errandi periculum devitetur, expoſtulant. Ea de cauſa opportunius, atque commodius putavimus, anticipatione quadam ea bina axiomata ab Ontologia mutuari, quam ab eadem ſtudiorum præſcribere initia, eamque Logicæ præferre.

§. LXVII. Expleta Logica, quæ veri inquirendi magiſterium præfert, incipienda veri inquiſitio ipſa, & quidem ab ea Diſciplina, quæ fundamenta prima, ac generaliora principia continet ceterarum; quæque proinde ceteris clarior, ac facilior eſt, eiſdemque lucem adfert. Quocirca poſt *Logicam* ſtatim ſubjicienda *Ontologia*, ad quam primarum veritatum, ac generalium principiorum, & axiomatum communium lucubratio pertinet. Ob id enim *prima Philoſophia*, *prima ſcientiarum ſemina*, *præfatio*, *ac prolegomena ſcientiarum omnium* ea paſſim nuncupata. Sane a Logica ad quamlibet facultatem aliam, *Ontologia* prætermiſſa, gradum facere, ſtudiorum in primis per ſaltum inſtitutio foret; tum ædificiorum ſine præjactis in anteceſſum fundamentis præpoſtera conſtructio, & commolitio. Quo quidnam abſurdius, ac rerum naturæ, ipſorumque tironum progreſſibus magis adverſum? Scilicet ſunt Diſciplinæ omnes philoſophicæ inſtar cujuſdam magni ædificii, cujuſdam ingentis machinæ, quorum fundamenta prima, primas ſcilicet veritates, & axiomata communia, quibus ſuperſtruuntur, ipſa ſup-

suppeditat Ontologia. Omnis autem ædificii, aut machinæ constructio a fundamentis proculdubio sua ducere debet initia; ut patet.

§. LXVIII. Ontologiam scholarum more excipere solet *Psychologia*. Verum id præpostere factum. Psychologiæ enim omnino præmittenda *Physica*, uti mox explicabo. Quum autem *Physicæ* præire omnino debeat *Mathesis*; hinc post *Ontologiam* statim subjicienda *Mathesis*, atque *Arithmetica* primum, tum *Algebra*, postremo *Geometria* quum *plana*, tum *solida*. *Arithmetica* enim, & *Algebra Geometriæ* inserviunt; *Geometria* autem communibus *Ontologiæ* axiomatibus superstruitur, atque ab illis omnem fere lucem mutuatur, ac certitudinem; uti cuique notum. *Ontologiam* ea igitur statim subsequatur, necesse est; nisi ædificia primum construere velimus, tum eorum jacere fundamenta; quod ridiculum, atque omnino contra alterum Logicæ præceptum (§. *65.*), sensumque hominum communem.

§. LXIX. Sed & multo magis ab iis præpostere factum, qui ipsimet quoque *Logicæ Mathesim* præmittendam arbitrantur. Quasi quod prius inquirendæ veritates, eæque sublimiores & obstrusiores a tironibus sint; postmodum illis inquirendi ars, ac præcepta tradenda, atque perdiscenda! Quasi quod a difficilioribus, & obscurioribus, cujusmodi mathematica theoremata ac problemata sunt, ea veri inquisitio incipienda, tum ad faciliora progrediundum, & clariora; cujusmodi sunt præcepta Logicæ!

Quasi quod exercenda primum ratiocinandi vis sit, ac postea perpolienda, ac munienda! Sed *paralogismi*, in quos Mathematici haud raro dilabuntur, clare demonstrant, quam omnino necesse sit *Logicam*, rationis formatricem, ac errorum expultricem, mathematicis Disciplinis præmittere, & explicare.

§. LXX. Post *Mathesim* e vestigio subnectenda *Physica*, *generalis* primum, quæ generalium materiei proprietatum theoriam exhibet; tum *particularis*, quæ corporum proprietates evolvit peculiares. *Mathesis* enim se sola, idest *pura*, in sola mentis abstractione sita est; ideoque semet sterilis, si recte conjicio, ac vana, nec ulli hominum bono & commodo, nisi torquendo fortassis eorum ingenio, idonea. Physicis autem disciplinis aptata, idest *mixta*, ingentes, uberrimasque utilitates humano generi adfert. Quare *Mathesis* data opera inventa, inductaque videtur propter *Physicam*, ad intricatiora naturæ phænomena evolvenda, ac demonstranda; quemadmodum peculiari capite dicam Libro sequenti. Atque idcirco post *Mathesim* statim subjicienda *Physica*, propter quam illa inventa.

§. LXXI. Physicis studiis absolutis, sumenda *psychologica*. Et ideo post *Physicam* evolvenda *Psychologia*, cui illa ingentem lucem suppeditat ad suas veritates demonstrandas. Sane integrum *Psychologiæ* magisterium in vindicanda humanarum mentium *spiritualitate* non minus, quam *libertate*, nec non illustrioribus

do-

dotibus aliis, situm in constituenda *antithesi* inter notas materiei proprietates & mentis, atque inter utriusque agendi modum. Tum evolutio phænomenorum *phantasiæ*, *memoriæ*, *conjunctionis* animæ cum corpore, aliorumque sexcentorum, magna ex parte pendet ex *Anatomia*. Horum autem intelligentia a *Physica* derivatur; ut patet: cui proinde *Psychologia* subjicienda.

§. LXXII. A *Psychologia* progrediundum ad *Theologiam naturalem*, quæ plurimam ab ipsa Psychologia non minus, quam a *Physica* lucem mutuatur; adeo ut utraque basi illi sit ac fundamento. Ac *Physica* quidem tot existentiæ, sapientiæ, ac providentiæ Dei, aliorumque attributorum divinorum *Theologiæ naturali* argumenta suppeditat, ut merito dici possit, res omnes adspectabiles atque corporeas ordine, harmonia, ac pulchritudine sua, necnon beneficis *usibus*, & commodis pro vita humana, totidem esse veluti linguas, quæ suum clament sapientissimum, ac potentissimum Creatorem. Nec dissimilia argumenta eidem præstat *Psychologia* quum ipsa creatione animorum ex nihilo, tum nobilissimis eorumdem dotibus, intelligentia in primis, memoria, arbitrii libertate, ceteris. *Theologia* igitur *naturalis* omnino tradenda tironibus & evolvenda post *Psychologiam* non minus, quam post *Physicam*.

§. LXXIII. Tandem post *Theologiam naturalem*, ac postremo omnium loco enucleanda, ac pertractanda *Ethica*, quæ eidem æque, ac *Psy-*

Psychologiæ superstruitur, & solidatur. Nam *inclinationes* quas *Ethica* refrænat, *affectus* quos coercet, & actiones *electiles*, *liberæ*, *humanæ*, quas per virtutum semitam ad æternæ felicitatis portum dirigit, aliaque similia, omnia *psychologica* sunt, & ad humanam mentem spectantia. Tum *naturalis legislatio*, *poenæ*, ac *præmia* naturæ legibus moralibus affixa, religio naturalis, *pietatis* officia, innumera id genus plurima, uti Deum O. M. ejusque infinitas perfectiones spectant, ita vel sunt ea quidem *theologico-naturalia*, vel ex *naturali Theologia* in *Ethicam* derivantur. Verbo, si quæ *Psychologia*, ac *Theologia naturalis* plurima, ac uberrima fundamenta suppeditant, ab *Ethica* submoveas, nihil, fere dixerim, supererit reliqui: adeo duarum harumce facultatum argumenta vel fundamenta *Ethicæ* sunt, vel demonstrandi media, vel objecta, vel denique finis, ac scopus!

§. LXXIV. Sed vela tandem contrahamus, atque philosophicarum Disciplinarum catalogum eo, quo sibi mutuo succedunt, nexu, ordine, ac serie, & quemadmodum tironibus eæ tradendæ. & evolvendæ, subjiciamus. Is autem nostro quidem judicio, atque ex hactenus demonstratis est hujusmodi: *Logica*, *Ontologia*, *Mathesis*, *Physica*, *Psychologia*, *Theologia naturalis*, *Ethica*. Hic naturalis harum Disciplinarum nexus, hæc series, hic ordo. Subjiciendus nunc & nexus alius æque naturalis foret singulorum argumentorum, quæ eædem Di-

sci-

ſciplinæ compleƐtuntur. Sed *elementorum* anguſtiæ, ſtatique fines id minime permittunt. Scio, catalogum hunc non omnibus eſſe probandum viris doƐtis. Verum, quod eſt ſapienter Juvenali adnotatum Sat. I.

Quid refert, diƐtis ignoſcat Mutius,
an non?

Sat nobis, ac imo abunde erit, eo duxiſſe calamum, quò rerum natura ducébat. Ceterum haud dubitaverim, eos omnes, qui in oppoſitas opiniones haƐtenus abiere, nobiſcum eſſe ultro conſenſuros, ſi produƐtas a nobis rationes abſque ullo *partium ſtudio*, ſoloque veritatis amore examini ſubjecerint.

§. LXXV. Sed quæret heic fortaſſe aliquis. Quin Diſciplinarum ſeries diu a viris doƐtis probata, atque in Scholis ubique recepta immutetur, eccur non potius a *phyſicis Diſciplinis* ea omnia extrahantur, atque in *Ontologiæ* corpus inſerantur, quæ theorematibus *de mente humana*, atque *de Deo* vel probandis, vel colluſtrandis inſerviunt? Reſpondo in primis, tunc *Ontologiam* abire ſtatim in monſtrum biceps; nec facile determinari inde poſſe, an ob *univerſales abſtraƐtaſque veritates Metaphyſicæ* pars dicenda ſit; an vero pars *Phyſicæ* ob additas *veritates particulares*, atque *ſenſibiles*. Deinde quæ theorematibus *de mente humana*, ac potiſſimum *de Deo* vel probandis, vel colluſtrandis inſerviunt, a *Phyſica* in *Ontologiam* transferre velle, perinde eſt, ac *Phyſicam* integram convellere, & eradicare. Adeo nempe cer-

certum, planeque persuasum nobis est, cælos, terram, maria, plantas, animalia, elementa omnia, ac quemvis vel minimulum abjectumque vermiculum digito velut nobis ostendere sapientissimum eorum, ac beneficientissimum Conditorem. Nonne igitur longe melius, atque laudabilius fuerit, si, quemadmodum in superiori catalogo,

Singula quæque locum teneant sortita decenter?

§. LXXVI, Ceterum in contexenda Disciplinarum serie quisque suam opinionem sectetur, prout libuerit. Ego quippe *in utilitatem privati auditorii mei* hæc scribo, cui eadem puto, nisi mea me fallat opinio, utilissima. Illud autem oro, obtestorque, ut quævis series, quivis ordo adoptetur a viris doctis, postremo tandem loco *ethicas* Disciplinas haud prætereundas patiantur. Hæ enim *finis* sunt, *portus*, atque *fructus* ceterarum. Meminerint, *veram hominis sapientiam cognitionem esse hominis ipsius*. Hinc præ ceteris Disciplinis *Ethicam* impense coluere, summisque laudibus extollendam putavere præstantiores in antiquitate Philosophi. Hinc acriori censura reprehensi, qui post spissa ceterarum philosophicarum Disciplinarum cusa volumina, *Ethicam* alto silentio præteriere. Hinc numquam satis hucusque laudatus, nec satis in posterum laudandus Genuensis noster, qui horum turpem oscitantiam & in *Theologia naturali*, & in libris *de Jure & Officiis*, & in *Diceosina*, & in *Theologia* re-

revelata, & ubique operum ſuorum variis ſub formis, ordine, ſtylo, & idiomate abunde compenſavit. Quamquam ſatis mordaciter ob id alicui dictum, eamdem illum ubique crambem coquiſſe ſemper, ſemperque recoquiſſe. Hinc vel ipſimet tandem Poetæ, ne illa e manibus umquam excideret, ardentioribus precibus, & adhortationibus inculcarunt, in primis Perſius Sat.III.

Discite, o miseri, & cauſſas cognoſcite rerum:
Quid sumus? & quidnam victuri gignimur? & ordo
Quis datus? aut metæ quam mollis flexus, & unde?
Quis modus argento? Quid fas optare? Quid asper
Utile nummus habet? Patriæ, cariſque propinquis
Quantum elargiri deceat? Quem te Deus eſſe
Juſſit? & humana qua parte locatus es in re?
Disce: nec invideas . . . .

CA.

CAPUT IX.

De scopo, quem in veri inquisitione, Disciplinarumque studiis tirones sibi proponere debent.

§. LXXVII. EA est agentium *ratione* ac *libertate* præditorum indoles atque natura, ut sive agant quidquam, sive omittant, nihil horum illis contingat sine *fine*, *scopo*, *motivo*, aut *ratione sufficienti*, cur ea fiant potius quam non fiant, hoc potius modo quam alio. Quum enim *libertatis* status *æquilibrii* quidam status sit ac *indifferentiæ*; dari omnino debet *ratio sufficiens*, cur ad actionem potius ab eo statu humana mens transeat, quam inactuosa perseveret. Sine *ratione* namque *sufficienti* nihil fit. Hæc quum ita sint, quemadmodum actionum omnium, omissionumque humanarum, ita & studiorum, verique inquisitionis *scopus*, *finis*, *motivum*, *aut sufficiens ratio* (nam eodem recidunt) aliqua detur, necesse est.

§. LXXVIII. Porro si ad eamdem naturam diligenter attenderimus, comperiemus profecto, studiorum *scopum* hunc situm esse debere in *boni* alicujus *assecutione*, aut in *fuga mali*. Ita quippe a natura constituti sumus, ut innato quodam pondere ubique feramur in bonum, malumqae aversemur. Sane si actionum om-

omnium, omiſſionumque noſtrarum *analyſim* rite inſtituerimus, perſpicua res erit, quidquid agimus, quidquid omittimus, quidquid tentamus, machinamur, cogitamus, in commune centrum iſthuc vertigine mira confluere omnia, *UT SIMUS*, *AC BENE SIMUS*, vel *ut minimum* ſaltem, quoad fieri poteſt, *male ſimus*.

§. LXXIX. Quum autem non raro contingat, ut in bonorum, malorumque judicio decipiamur, *mala* turpiter putando, quæ reipſa *bona* ſunt, ac viciſſim *bona*, quæ ſunt *mala*; qua de cauſa bonorum, malorumque diviſio illa oborta in *vera & adparentia*: hinc ſerio cogitandum, ut ſtudiorum, verique inquiſitionis *finis verum* ac *reale bonum* ſit, non *fucatum* & *adparens*. Utinam priuſquam agimus quidquam, vel omittimus, ſerium maturumque examen iſtuc ex perpetua methodo iniremus! Non adeo patens eſſet malorum ſcatebra, nec errorum! . . . Sed pergamus.

§. LXXX. Quum hæc non advertiſſent, ſive (quod longe verius) advertere noluiſſent viri quidam perverſi, ſocietatis ſimul ac Religionis opprobrio nati, non alium ſtudiorum ſuorum ſibi ſcopum propoſuerunt ac finem præter impietatem, ac ſcelus: putantes, neſcio quod nominis, & gloriæ incrementum per Europam ſe conſecuturos, ſi *Sacerdotii* non minus, quam *Imperii* juga excuterent, populoſque plane facerent exleges, ſine Principe, ſine Sacerdote, ſine Deo. Quamquam ea in re illud longe deteſtabilius, quod ubi horum peſtilentiſſima opuſcu-

ſcula, quæ in Italiam clanculum injiciuntur, voracibus illico flammis addicenda forent; contra ea arripiuntur avidius, majorique cum animi ardore, ac voluptate perleguntur. Qua de cauſa fit, ut a ſciolis quibusdam, & garrulis heic *naturaliſmo* plaudatur, illic *indifferentiſmo*, & alicubi fortaſſe etiam (horribile dictu!) *atheiſmo*.

Eheu! cicatricum, & ſceleris pudet,
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Ætas? Quid intactum nefaſti
Liquimus? Unde manus juventus
Metu deorum continuit? Quibus
Pepercit aris?

§. LXXXI. Quondam erit igitur *verum* illud *bonum*, ad quod veri inveſtigatione, ac Philoſophiæ ſtudiis contendere debemus? Doceat id nos Cicero quum alibi, tum in libris *de Finibus*, ubi: *Omnis ſumma Philoſophiæ*, inquit, *AD BEATE VIVENDUM refertur, idque unum expetentes homines, ſe ad hoc ſtudium contulerunt*. Hunc igitur ſcopum, ad quem Philoſophia ſuapte natura fertur, nobis ob oculos ſiſtere debemus, *BEATE VIVERE*; niſi ad noſtram aliorumque perniciem ſcientes ac prudentes inſanire velimus.

§. LXXXII. Sed qnidnam *beate vivere*, ideſt *felicitas* eſt? Et quænam *media* Philoſophiæ ſtudium nobis ſuppeditat ad eam aſſequendam? Principio *felicitas* generatim in *carentia malorum*, & *voluptatis ſenſu* ſita eſt. Quum autem mala alia corporis ſint, ut do-

lo-

lores, alia mentis, ut ægritudines: hinc definiri felicitas poterit: *Carentia doloris in corpore, & ægritudinis in mente, ac ſubnaſcentis voluptatis interna conſcientia*. Quo & ſpectat *viri felicis* character ex Stoicorum ſententia: *Non dolere corpore, non ægreſcere mente, ac ſubnaſcentem inde voluptatem vivide perſentiſcere*. Verum iſtuc felicitatis genus, quo omni prorſus dolore careamus in corpore, omnique ægritudine liberi ſimus in mente, *plenam* ſcilicet, *perfectamque felicitatem*, fruſtra heic ſperaverimus, ubi quotidiana naturæ indigentia, ubi lex colliſionis partium univerſi, ubi indomita affectuum rebellio, ubi iniqua improborum hominum prævalentia, ac ubi innumera quotidie mala, innumeros ex omni parte dolores & ægritudines adferentia, mille quotidie modis nos infelicitant. Tota igitur, quam in hac vita ſperare poſſumus, felicitas ſive beatitudo ſita eſt, quemadmodum eleganter Tullio dictum in libris *de Officiis*, in *MINIMA DE MALIS*; ut numero ſcilicet, ac intenſitate minoribus, quoad fieri poteſt, malis affligemur. Atque hac quidem nedum contenti eſſe debemus, maximaſque Deo grates adſidue rependere; ſed & ſapientiſſima quoque illius conſilia, ac providentiam demirari. Quia ſi tot ærumnis, ac miſeriis attriti vix ejuſdem amantiſſimi Numinis recordamur; quænam eſſet mortalium vita, ſi nos heic feciſſet feliciores, ac beatiores?

§. LXXXIII. Atque hæc *terrena felicitas* eſt, iſtuc *in terris beate vivere*. *Media* autem per

E ſcien-

scientiarum studia illam nanciscendi non opes sunt, non dignitates, non honores, non stemmata, non superbum quidquam simile; quemadmodum nimis inscite quibusdam somniatum. In primis enim hæc Philosophia non parat (§ 42.) Tum augendis ea potius doloribus in corpore, & ægritudinibus in mente apta sunt. Sane centies, ac imo millies feliciorem dixerim ruralem hominem, cui sunt tantum

. . . . *mitia poma*,
Castaneæ molles, & *pressi copia lactis*;

quippe qui exigua re familiari, parvaque supellectili plane contentus, nullis gravioribus curis, nullisque desideriis angitur; quam epulones quoslibet, ac illos prætereа omnes, qui *semi-deorum* in classe constituti videri volunt, ac reputari. Quum scilicet horum honores, dignitates, stemmata, thesauri, graviores curæ, epulæ, nimiæ relaxationes, centena alia his similia, totidem duriora juga, tyrannicæ servitutes, & importabilia onera sint, quibus opprimuntur, & infelicitantur (§. 44.).

§. LXXXIV. Sunt ea vero *beate vivendi* media, quæ Philosophiæ nobis studia parant, potius hæc tria: 1. *honesta commoda* cum sobrio eorum usu: 2. *perfectio intellectus*, per germanam Dei, nostri, aliorumque cognitionem: 3. *perfectio voluntatis*, virtutibus vivendi ex legibus justitiæ & honestatis, *piè* nimirum erga Deum, *sobrie* erga nos ipsos, atque *juste* erga alios homines. Quorum mediorum primum, in optimis saltem Præceptoribus, facile parat Philo-

sophiæ

ſophiæ magiſterium nedum in publicis, ubi hi aluntur ære publico, ſed etiam in auditoriis privatis; item *Juriſprudentia*, *Medicina*, *Chirurgia*, aliæque facultates, vel etiam liberaliores artes ex *Phyſica*, ac *Matheſi* ſimul derivatæ; ut *Architectura*, *Sculptura*, *Pictura*, *Baliſtica*, ſimiles. Secundum adfert *Metaphyſica*: ac tertium denique *Ethica*, ſive *Moralis*. His autem mediis quum dolores corporis, tum ægritudines mentis facile fuerit volenti, & adnitenti divino cum adjutorio ad *minimam partem* revocare, & ideo beatiorem vitam ducere.

§. LXXXV. Atque hæc mirum quoque in modum cum humanæ felicitatis idea congruunt, quam ſcite admodum & cogitate nobis exhibet Juvenalis, quum illum heic eſſe ſcribit *beatum*, cujus eſt *mens ſana in corpore ſano*. Nam & ſanitatem corporis, quoad minimam dolorum partem, honeſta commoda pariunt cum ſobrio eorum uſu; & ſanitatem mentis, quoad minimam quoque partem ægritudinum, *virtutes* inducunt tam *intellectuales*, puta Dei, noſtri, aliorum cognitio; quam *morales*, *pietas* ſcilicet, *juſtitia*, *ſobrietas*, ſive *temperantia*, ceteræque præterea omnes, quæ ex his proficiſcuntur. Ut enim vitia quum mentis tum corporis ſanitatem pervertunt; ita viciſſim utramque ſanitatem ſolæ adferunt, ac imo ſolæ adferre poſſunt, ſervareque virtutes.

§. LXXXVI. Ceterum quo inevitabiles dolores corporis, atque fatales *ex lege commercii* ægritudines mentis minus ſentiamus, *pietas*

præcipue adverſus Deum impenſe colenda ; atque in hac pietate humilis, ac plena ſubjectio conſtanter adhibenda divinæ voluntati, in ore ſemper habendo, & in corde Servatoris illud : *FIAT TOLUNTAS TUA*, quo tota hominis, chriſtianique perfectio continetur. Ita quippe quacumque in rerum viciſſitudine poſiti vix, ac ne vix quidem commovebimur. Non ſuperbiemus in proſperis, nec in adverſis conſternabimur. Quinimmo *libenter gloriabimur in infirmitatibus noſtris* cum Apoſtolo Paulo ; ac illud in ore perpetuo habebimus cum patientiſſimo Jobo : *Dominus dedit, Dominus abſtulit : ſit nomen Domini benedictum*. Adeo verum, itemque pulcherrimum italicum effatum illud : CHI SI CONTENTA, GODE. Verum hic conſenſus, hæc plena conformitas Divinæ voluntati, Dei donum eſt, aſſiduis precibus ex imo corde, caſtaque mente profuſis efflagitandum. Quod ne ipſis quidem gentilium Philoſophis, ac Vatibus ignotum. Unde Juvenalis Sat. X:

ORANDUM EST, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
Fortem POSCE animum, & mortis terrore carentem :
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ : qui ferre queat quoſcumque labores :
Neſciat iraſci, cupiat nihil : & potiores
Herculis ærumnas credat, ſævoſque labores
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

§. LXXXVII. Hæc quum ita ſint, juvenes noſtros, ad veri inquiſitionem, Diſciplinarumque ſtudia contendentes enixe precor, ut non alium ſcopum in iis ſibi proponant, niſi *beate vivere*; nec alia inquirant *beate vivendi media* præter tria illa mox propoſita (§. 84.), non omiſſo quarto (§. *præt.*), ceteris ad beate vivendum longe efficaciore, & opportuniore: ſcilicet 1. honeſta commoda, 2. perfectionem intellectus, 3. perfectionem voluntatis, & arctiſſimam 4. divinæ voluntati adhæſionem. Quæ tanto diligentius perſequi debent, quanto in eo ſæculo vivimus, in quo ob prava ſceleſtiſſimorum hominum exempla, & adſidua impietatis incitamenta, facillimum ipſis fuerit literarum ſtudia in propriam ipſorum, aliorumque perniciem vertere. Alioquin longe melius, & commendabilius fuerit ea abjicere prorſus, ſolique *Religionis*, *naturæque catechiſmo* operam dare: ne ſcilicet, quod graviſſime Auguſtino dictum, *veniant indocti*, & *rapiant regnum Dei: nos autem cum noſtris literis demergamur in profundum.*

CAPUT X.

De recta definiendi, dividendi, & in ordinem disponendi arte, in inquisitione veri adeo frequenti, delicatiori, ac necessaria.

§. LXXXVIII. Veri investigator triplici potissimum arte plane instructus esse debet, *definiendi*, *dividendi*, *ordinate disponendi*. In ipsa enim veri inquisitione accidit sæpissime, ut in objectis, quæ examini subjiciuntur, quædam occurrant adeo obscura, ut nisi per adcuratas *definitiones* prius explicentur, ac determinentur, difficillimum fuerit inquisitionem ipsam ultra protrahere. Sæpe etiam in res compositas, ac plura in se complectentes ipsa investigatio incidit; quæ nisi apta divisione secernantur, hæreat ea statim, necesse est. Frequentissimus denique occursus accidit rerum maxime involutarum, & confusarum, & quæ omnem ulteriori inquisitioni aditum præcludunt, nisi suo quæque loco statuantur, aptumque omnes in ordinem disponantur. Quæ quum ita sint, utilissimum, ac imo plane necessarium ducimus potissima *definiendi*, *dividendi*, *apteque disponendi* præcepta tironibus proponere; ut in Disciplinarum studiis nihil occurrat, quod aut veritatem illis obtegere, aut in errorem inducere possit. Sed a *definitione* exordiamur.

§.

§. LXXXIX. *Definire* quidpiam perinde est, ac illud datis quibusdam regulis explanare, ac determinare. Hinc triplex oboritur definitionis genus, ut alia nimirum dicatur *etymologica* sive *nominalis*, alia *realis*, alia *genetica*; propterea quod obscuritas vel *in nomine* esse possit, vel *in re*, vel *in gignendi modo*. *Nominalis* definitio dicitur; qua, quod in nomine obscurum est, explicamus: ut si dicam: *Philosophia est amor sapientiæ*. *Realis*, qua evolvimus id, quod latet in re, sive in rei natura & essentia: ut *triangulum est figura plana, tria latera, totidemque angulos complectens*. *Genetica* demum, qua latentem modum enucleamus, quo data res fit, aut fieri potest: ut *linea est longitudo omnis latitudinis expers, orta ex continuo fluxu puncti*.

§. XC. *Reales definitiones* spectandæ viro philosopho tamquam *scientiarum semina*, *compendia*, *elementa prima*. Nam quæ paucis, compendiose, ac velut in nucleo ipsæ exhibent, & complectuntur, late postmodum in Disciplinis demonstrantur. Hinc intelligimus, definiendi artem nimis periculosam esse, ac delicatiorem; exposcereque proinde animum valde intentum, omnique præjudicio vacuum. Alioquin falsas, & erroneas definitiones construendo, tum ex earum præscripto scientiarum ædificia commoliendo, erunt omnino illa prava, chimærica, sæpe impia, ubique simillima chao. Exemplum habemus in Benedicto Spinoza, qui in *Systemate theologico-politico* con-

ſtruendo exordium ducens a falſis *ſubſtantiæ*, ac *modi* definitionibus, eò tandem erroris, ac impietatis devenit, ut *pantheismum* revocando, Deum confunderet cum univerſo, juxta Poetæ illud:

Jupiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Præſtat igitur, in re tam delicatula, ac periculis plena eſſe oculatiſſimos; nec umquam a ſenſu optimorum communi *definiendo* recedere, niſi certa, ac perſpicua ratio nos aliquando recedendum coegerit.

§. XCI. Sunt autem rectarum definitionum præcepta, quæ ſequuntur: 1. ut *ſint rebus definitis clariores, & luculentiores*. Alioquin nova opus erit definitionis definitione: quod ridiculum, æque ac illud *spatium ſpatii* apud Orlandum in *notis* ad *Phyſicam* Muſchembroekii. 2. *Ut nec ſint nimium breves, nec admodum verboſæ*. Utrumque enim obſcuritatem parit; quæ eſſe debet definitionibus inimica; quippe quæ ad eam eliminandam inſtitutæ. 3. *Ut binas omnino rei definitæ notas, eaſque proximas & immediatas complectantur, genericam, ac ſpecificam*. Ubi omnis diligentia adhibenda, ut hujuſmodi *notæ, proprietates, attributa* (nam eodem recidunt) vera ſint, genuina, rei eidem definitæ infixa, inhærentia: ne, ſi ſint ficta; aut aliquantulum immutata, ea poſtmodum mala obveniant, ubi ſcientiarum molimina conſtruuntur, quæ mox (§. præc.) innuimus. Sed paullo adcuratius evolvamus ſingula.

§.

§. XCII. Eſt itaque *nota generica*, in qua cum rebus aliis diverſæ ſpeciei res definita convenit: ut *figuræ* notio (§. 89.), in qua circuli, triangula, quadrilatera, polygona conveniunt. Eſt autem *nota ſpecifica*, per quam eadem res definita a rebus aliis diverſæ ſpeciei diſcriminatur: ut notio *trium angulorum*, totidemque *laterum (ibid.)*, per quam triangula diſcriminantur ab eiſdem circulis, quadrilateris, polygonis. Rurſus binæ notæ iſtæ eſſe debent *proximæ*, & *immediatæ*, per quas nimirum rei definitæ natura & eſſentia immediate conſtituitur, non *remotæ*, *ac generaliores*, per quas non conſtituitur, niſi remote admodum, ac mediate. Neque carent iſta ratione: ut nempe quæ definita res fuerit, ſatis evoluta, ſatiſque determinata, atque a ceteris plane diſtincta ac ſecreta remaneat. Hinc homini deſignando impar hæc definitio foret ſolam notam *genericam* complectens: *homo eſt animal*; quia nondum conſtaret, ad quam animalium claſſem, ſive ſpeciem is ſpectat. Impar quoque hæc alia præferens ſolam illius notam *ſpecificam*: *homo eſt rationis particeps*; quia non diſtinguit illum a ſpiritibus omni corporis compage deſtitutis; nec ſatis proinde eumdem determinat. Sed & hæc alia tandem impar: *homo eſt ens vivens*; quia tam generica *entis*, quam ſpecifica nota *viventis* nimis remotæ, ac generaliores ſunt; nec hominem a brutis, ac plantis, quæ ambo *entia viventia*, ſecernunt, nec determinant. Sola igitur germana, recta, ac legitima fuerit definitio,

finitio, quæ subsequitur: *homo est animal rationis particeps*; quia altera nota *generica* est, altera *specifica*; ac utraque *proxima*, & *immediata*, proxime scilicet ac immediate hominis naturam & essentiam constituens, eumque a rebus specie diversis discriminans, planeque determinans. Non esse autem puerilia ista, otiique plena, quæ paullo superius (§. 90.) adnotavimus, abunde commonstrant.

§. XCIII. Sed hæc illud etiam in mentem revocant, quod tironibus nolo esse ignotum. Scilicet definitiones (de *realibus* loquor), quæ efformantur, vel integrarum Disciplinarum definitiones sunt, vel rerum peculiarium ad easdem Disciplinas pertinentium. Si primum, iis rite efformandis idonei tantummodo erunt, qui Disciplinas ipsas, quoad latissime patent, perspectas habuerint. Sunt enim id genus definitiones velut earum *epilogi*: dati autem libri, aut orationis *epilogum* e. g. is tantum rite concimnaverit, cui ejusdem argumentum cum omnibus suis partibus plane notum atque perspectum fuerit. Similiter ratiocinare de integrarum Disciplinarum definitionibus. Sin vero alterum, si, inquam, res peculiares definiendæ fuerint; perspectas tunc esse oportebit definienti proprietates omnes etiam extrinsecas, ac variabiles, quæ ipsis insunt, atque inesse possunt. Cujus ratio manifestissima est; quia intrinsecæ rerum essentiæ, ideoque ambæ notæ illæ, *generica* & *specifica*, per quas eædem essentiæ constituuntur, quasque *reales* definitiones

nes complecti debent (§. præc.) , sunt nobis ignotæ ; nec alia eas detegendi via nobis suppetit, præterquam proprietatum, virium, modorum agendi, phænomenorum, similium. Hæc igitur prius noscat, oportet, qui *reales* rerum peculiarium *definitiones* rite efformare voluerit : alioquin falsas de earum natura ideas concipiendo, in falsas quoque, & abnormes theorias non poterit non dilabi.

§. XCIV. Sed a *definiendi* ad *dividendi artem* calamum, attentionemque convertamus. Aliquid *dividere* dicimur, quum illud in partes, quas complectitur, resolvimus. Est igitur divisio entium compositorum, non simplicium. Rite autem dividendi præcepta sunt : 1. *ut divisio fiat in partes generaliores* ; tum, si opus fuerit, in minus generales, quæ illis comprehenduntur. Ut telluris divisio in Europam, Asiam, Africam, Americam : tum Europæ iterum in Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, regiones alias ; quas ipsa complectitur. 2. *In partes oppositas* ; quarum altera scilicet excludat alteram : ut divisio actionum humanarum in *bonas*, *& pravas*, *præmio* vel *pœna dignas*. 3. *In tot partes*, *quæ simul sumptæ totum divisum adæquent*. Alioquin si pars aliqua deerit, nec inquisitio erit integra, nec explicatio plena. 4. *Nec nimia tandem divisio sit*, *nec manca*. Utrumque enim ab illius scopo alienum. Divisione quippe utimur ob mentis imbecillitatem, quæ quum pluribus simul intenta esse non possit, confusionem absque *divisionis* præsidio

sidio minime devitaret. Divisio autem si *manca* fuerit, plurimasque compositi partes simul involutas reliquerit, confusionem proculdubio non tollet: novam quoque, attentionem distrahendo, memoriamque opprimendo, inducet, si fuerit nimia, atque redundans. Quo spectat Senecæ illud ad Lucilium Epistola: *Idem vitii habet nimia, quod nulla* (item manca) *divisio. Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.*

§. XCV. Progrediamur tandem ad *artem rite, ordinateque disponendi*, quam ego quidem tamquam unicam, aut præcipuam saltem *notam*, sive *characterem* spectare soleo *viri docti*: cujus scilicet ope literatum ab imperito, doctorem a discipulo, virum studiis subactum a tirone secernimus. Equidem mihi plane persuasum, virum doctum non tam ipsa multiplici rerum cognitione constitui, quam cognitione *nexa*, & *ordinata*. Sane memet non raro pudet, quum *viros doctos* quosdam adpellari audio, qui sive scribunt quidpiam, sive loquuntur, *diruunt*, *ædificant*, *aptant quadrata rotundis*; adeo ut nulla orationis pars suum *locum teneat sortita decenter*, sed quas priores esse oporteret, fiant mediæ, aut etiam novissimæ; & quas medias, aut novissimas, eæ prioribus substituantur. Horum mentes spectare possis velut sagenas plenas quidem multorum ac diversorum piscium, verum inter se maxime immixtorum, & confusorum. Nam horum ideæ multiplices quidem, ac variæ; sed maxime obvolutæ, per-

tur-

turbatæ, invicem confusæ. Quæ non ad invidiam cuique conflandam dicta volo; sed ut tirones opportune moneantur, ad quod doctrinæ ac sapientiæ genus contendere debeant, ut *veri* dicantur, ac *germani viri docti*. Sed ad rem.

§. XCVI. Quæ duo præcepta superius (§.65.) tradidimus, ut philosophicarum Disciplinarum ordinem, seriem, ac nexum ex earum natura statueremus; ea heic quoque locum habent, ubi de rerum apta, concimnaque dispositione instituenda loquimur, quæ inter se obvolutæ maxime sunt, atque confusæ. Scilicet maturo inito examine, præmittendæ semper & commentandæ, quæ clariores, quæ lucem aliis præbent, & quæ fundamento esse possunt, quibus aliæ superstruantur. Quæ norma præ oculis habenda semper, nec umquam negligenda, quousque evolutio omnis expleta fuerit, ac partes omnes suis aptis opportunisque locis decenter quoque fuerint constitutæ. Maxime vero intendenda attentio erit ad partes illas, quæ aliarum *principia* sunt; tum ad alias, quæ priorum sunt *consectaria*; atque eo ordine ambæ disponendæ, ut illæ, scilicet *principia*, has, nimirum *consectaria*, præant, & hæ vicissim illas ex perpetua methodo subsequantur. Sunt enim veritates omnes ita nexæ invicem & copulatæ, ut aliæ ex aliis fluant, atque quamdam veluti catenam constituant. Quare germana eorum evolutio fuerit, si a prioribus annulis, idest a *principiis* ducto initio,

con.

constanti gradatione, fluxuque perpetuo per subsequentes annulos, per subsequentia, inquam, *consectaria* ad postremum deveniatur. Sed ea de re sat ista modo; alia fortasse postea.

CAPUT XI.

De viribus intellectus humani ad verum investigandum, & assequendum idoneis.

§. XCVII. Plura hucusque nobis tradita veri inquirendi, adsequendique præcepta. Res nunc propius paullatim attingenda. Ac illud in primis examini subjiciendum, insit ne humanæ menti vis talis ac tanta, qua ipsummet *verum* non pervestigare tantum, sed & plane detegere, & adsequi possit? Frustra alioquin præcepta illa traderentur, nisi & vires istæ plane constarent. Atque id genus examen tanto diligentius ineundum, quanto certius noverimus, e Scepticorum, qui cuncta incertitudini subjiciunt, turba esse nonnullos aut ludricos, aut insanos, qui eas vires humanæ menti prorsus denegant. Est in ea opinione, sive potius insania auctor Opusculi *de imbecillitate mentis humanæ*, illustrissimo præsuli Petro Danieli Huetio vulgo adscripti. Falso id tamen, ac per summam calumniam; quemadmodum viro summo Ludovico Antonio Muratorio demonstratum in alio Opu-

Opuſculo, quod contrario titulo data opera inſcripſit, *de viribus intellectus humani*.

§. XCVIII. Eſt itaque *intellectus* ea vis mentis, qua noſtri, aliarumque rerum extra nos poſitarum conscii ſumus, de eiſdem judicamus, ratiocinamur, reminiſcimur. Vocari etiam ſolet *ratio*, ideſt *vis calculatrix*, aut *collatrix* idearum, de qua Libro III. Ex intellectus hujus perfectione varia (niſi verius in diverſam corporeæ machinæ texturam totum illud diſcrimen rejiciendum ſit) egregiæ hominum *indoles* proficiſcuntur. Ac in primis *acumen* in iis, qui rebus difficilioribus, & intricatioribus mira facilitate evolvendis idonei ſunt. In aliis *ingenium* ad nova, atque præclara animo concipienda, detegenda, & efformanda. In aliis *judicium* (quod *prudentiam*, ac *ſapientiam* Ethici appellant), quo vera à falſis, bona a malis, utilia ab inutilibus, agenda denique ab omittendis facillime ſejungunt. In aliis poſtremo *memoria* (quam a *vi intellectrice* nonniſi objecto diſtinguimus), qua ut rerum ideas cito arripiunt, ac tenacius diutiuſque retinent, ita & pro lubitu revocare illas poſſunt. Præclaræ quidem vis intellectricis hæ dotes omnes, atque ad ingentes, ac nobiliſſimos in Diſciplinarum ſtudiis progreſſus efficiendos maxime idoneæ. Verum optandum in primis, ceteriſque præferendum *judicium* (*ſapientia*, *prudentia*), in quo totius humanæ literaturæ ſumma conſtituta; niſi ſomnia captare velimus, & umbras.

§. XCIX. Porro hanc vim mentis intellectricem

ctricem esse limitibus (quod vir scepticus in Opusculo mox laudato urget) circumscriptam, non nego. Multo plura enim sunt, ad quæ ejus acies, ut ut in quibusdam acutissima, ac perspicacissima, non pertingit, quam quæ pervestigando assequi potest. At at id minime evincit, eam nihil prorsus certo tutoque scire posse. Nam ea est virium omnium finitarum indoles atque natura, ut licet ad majora quædam intervalla nihil agere possint; intra earum tamen atmosphæram maxime actuosæ sint, ac plura agant reipsa. Ita finita oculorum acies ad quædam intervalla pertingit, ad majora non excurrit. Similiter auditus: ac generatim vires omnes magnetis, ignis, luminis, corporum aliorum.

§. C. Sed sunt ista fortasse leviora. Quod autem ad demonstrandum fortius conducit, anxius, & irrequietus sciendi ardor ille est, quem omnium hominum cælo, terra, mari, sæculisque disjunctorum pectoribus ingenitum esse, nemo ignorat. Ac ne forte eorum superbiæ, & arrogantiæ id quis tribuendum putet; etiam & in pueris, quum prima rationis crepuscula scintillare incipiunt, eamdem sciendi cupidinem, non aliunde adscitam, sed a natura ipsa ultro erumpentem observamus. Si nunc verum est illud, quemadmodum est verissimum, *universalis phoenomeni causam oportere esse universalem*; ecquænam cupidinis hujus, ardorisque sciendi causa esse poterit alia, nisi eorumdem hominum sator, & conditor Deus? Ac

si

si Deus vi sapientiæ, potentiæ, & bonitatis suæ nil frustra molitur, sed omnia ad eos fines adsequendos idonea reddit, ad quos suapte natura ferri voluit; palam, & sine controversia est, talem ac tantam veri inveniendi, ac intelligendi vim humanæ menti indidisse, quantam ad id necessariam esse dignovit.

§. CI. Ac indidisse revera illam, facto ipso evincitur manifestissimo. Nam plura certo, evidenterque intelligimus, de quibus nulla subest errandi suspicio; ut illud, *totum esse sua parte majus: bina binis addita efficere quatuor: Deum, idest ens summum; esse summe colendum*: plura id genus alia, quæ *metaphysicæ* in primis, *ethicæ*, ac *mathematicæ* Disciplinæ exhibent magna copia. Atque quod in his veritatibus curatius adnotandum, immobilis plane, ac invariabilis illa constantia est, qua eodem semper a nobis modo intelliguntur. Constantia enim, ac perpetua uniformites cogitationum nonnisi a constantia, perpetuaque uniformitate objectorum oriri potest, a quibus ingeruntur; a cognita proinde veritate, quæ semper est eadem, nec ulli mutationi obnoxia. Nam *commenta*, quod scite, acuteque Tullio observatum, *delet dies*; ac *falsa*, tamquam a natura diffidentia, continuo *mutabilia* cernuntur.

§. CII. Tum risum elicit, quum scepticum hominem pugnare video adversus humanæ mentis vires, nec alia interim arma adhibere, nisi quæ ab eisdem viribus proficiscuntur. Ita quærerem ab eo: vera ne ipse putet argumenta,

quibus imbecillitatem mentis evincere nititur in investigatione, & adsecutione veri; an falsa? Si putat falsa; ludricus est, aut insanus, dum ea adhibet; nec quidquam præterea proficit, dum vera falsis oppugnare contendit, Sin autem vera existimat; quum ea argumenta a viribus humanæ mentis proficiscantur, sintque ejusdem fœtus; consequens est, eamdem mentem non esse adeo imbecillam, nec ejus intelligendi vires adeo debiles, ut verum numquam assequi possint. Ita id commenti genus ex illorum numero est, quæ ipsamet fundamenta evertunt, quibus superstruuntur. *Tantum ne est in rebus inane!* . . .

§. CIII. Nec reponere juvat, videri ea quidem argumenta sibi vera; nescire tamen, an reipsa vera sint, vel falsa. Non juvat inquam. Nam si humanam mentem prorsus imbecillam, ejusque intelligentiæ vires impares reputat vero adsequendo; ne videri quidem ea argumenta sibi vera possunt, sed plane falsa: & ideo ludicrus denuo in iis objiciendis, vel insanus. Quod si denuo reponat, eam de humanæ mentis imbecillitate in vero adsequendo opinionem non *omnino veram*, sed *verosimilem* tantum a se reputari; & ideo nec *vera*, nec *falsa*, sed *verosimilia* tantum a semet existimari argumenta, quæ ad eam probandam opponit; adhuc ludricus, vel insanus reputandus, dum *verosimilibus* tantum argumentis everti posse arbitratur argumenta *certa*, planeque *infallibilia*, quibus nos utimur ad oppositam sententiam demonstrandam.

dam. Nam illud denuo ac lubenter repeto, repetendumque sæpissime, quarundam cogitationum nostrarum *immutabilitatem*, atque *constantiam* manifestissimum argumentum esse *veritatis* earumdem; ipsarum scilicet objecta talia in se esse, qualia a nobis constanter, ac immutabiliter cognoscuntur, ac judicantur. Sola enim *vera*, utpote naturæ rerum uniformia, *immutabilia* esse possunt, semperqne videri a nobis eodem modo, atque in *eosdem usus* adhiberi: falsa non item, quæ una vel altera die falsitate cognitâ, semet ruunt, & evanescunt, tamquam a natura difformia, & commentitia; nec in eos *usus* adhiberi possunt, ad quos falso judicio idonea reputantur. Qua de re mox clarius & uberius.

§. CIV. Nec quidquam proficit, dum idem *pseudo-Huetius* ait, solo *revelationis lumine* collustrari mentem posse, ut verum inquirendo adsequatur. Quonam, quæso, in divini Codicis libro unquam revelatum invenio, hunc esse calamum, hæc perspicillia, illud atramentum; quæ ex diurno ceteroquin, nocturnoque *usu*, atque ex constantibus inde subsecutis effectibus talia esse scio? Quomodo etiam Dei verbum ibi contineri sciam, si rationis lumine Deum esse ignoro? Si loquutus ne sit Deus, an non, per naturalem rationem scire non valeo? Sed demus, me undecumque ista cognoscere posse. Standum nunc igitur iis omnibus, quæ in eodem Codice docentur. Ergo quum Paulus præsertim sæpe in illo doceat,

 me

me *per ea*, *quæ facta sunt*, Deum cognoscere posse, digitoque monstrare; consequens est, solo naturæ lumine, & per creaturas ipsas in Dei cognitionem me posse devenire; ac proinde inesse humanæ menti vires satis idoneas quum ad creaturas ipsas, tum ad earum Conditorem agnoscendos. Quamquam me vix temperare ab ira possum, dum hæc Scripturis sanctis ficta, atque fucata elogia a viro sceptico fieri audio. Quasi quod *scepticismi* scopus non ipsa sit veritatum omnium quum *naturalium* tum maxime *supernaturalium* eversio, ut, si diis placet, ubique triumphet *libertinismus*! Novimus quippe ab ungue leonem . . . .

§. CV. Ceterum si Scepticos, omnia in dubium vertentes, aut ludere, aut insanire ajo, dum nihil a nobis per naturæ vires sciri posse deblaterant; non ideo oppositam quorumdam, qui *Dogmatici* vocantur, audaciam, atque superbiam umquam probaverim, qui nihil se ignorare prorsus jactitant. Stati enim sunt humanæ intelligentiæ fines, quos ultra ejus vires minime expatiantur. Scilicet ea fuit semper eritque in ævum sapientissima supremi Numinis œconomia, ut quæ vitæ humanæ quum *animali*, tum *rationali* commode, honesteque transigendæ necessaria erant, nobis ultro manifestarit; in ceteris operibus ejus *admirationis* quidem nostræ *objectum* esse voluit, non *comprehensionis*. Quare adlaborandum potius nobis est, ut hac divini vultus scintilla super nos divinitus obsignata in eos *fines* utamur,

mur, ad quos summa munificentia fuit ea nobis a Deo communicata. Quæ germana, ac vera Philosophia.

CAPUT XII.

De triplici veritatis genere, physica, metaphysica, historica, earumque certitudine.

§. CVI. INsunt itaque, ex præcedenti Capite, humanæ menti vires tales ac tantæ, quæ veritatibus pervestigandis, & adsequendis satis idoneæ sint. Examini nunc subjicienda harum genera veritatum, quæ pervestigandæ. Porro earum divisio non ex alio fonte deducetur melius & adcuratius, quam ex rebus ipsis, quæ *verorum* sunt *judiciorum* objecta. Eæ autem res, sive talium judiciorum objecta, generaliora quidem, & ad quæ omnia facile revocantur, vel *physica* sunt ac *sensibilia*, vel *metaphysica* & *intelligibilia*, vel *historica* demum & *credibilia*. Quæ seorsum explicanda prius, tum veritates ipsæ determinandæ, & evolvendæ.

§. CVII. Principio igitur *physica* judiciorum objecta adpello, quæ corporea sunt, ac sensibilia, quæque sensuum usu & adplicatione a nobis dignoscuntur. Ubi nihil referre putamus, sive nudis sensibus, sive instrumento quolibet armatis ea nobis dignoscantur. Quare in

physicorum objectorum censum conjicienda, nedum quæ *simplicibus observationibus* de mundo adspectabili nobis perspecta sunt; sed etiam quæ per *experimenta* ritè instituta deteguntur. Ut adeo ad *physicorum objectorum* genus spectent naturæ phœnomena omnia, tùm quæ semet in sensus incurrunt, tum quæ instrumentorum, & quarumlibet machinarum vi & ope sive *observando*, sive *experiundo* e naturæ puteo eruuntur, ac palam fiunt.

§. CVIII. Voco autem judiciorum objecta *methaphysica*, quæ abstracta & intelligibilia sunt, atque rationis usu nobis comperta. Quocirca ad hanc objectorum classem spectant res omnes insensibiles & inconspicuæ, quarum cognitio sive ratiocinando, sive meditando, sive adhibendo analysim, sive sinthesim, sive quævis alia media, de quibus Libro III. in nos manat, & funditur. Atque hinc ad eamdem pertinet nedum quidquid insensibilis & abstracti, atque rationis usu a nobis cogniti suppeditant *Disciplinæ metaphysicæ*, sed & *mathematicæ* etiam, & *ethicæ*, & ipsæmet non raro *physicæ*. Nulla enim facultas est, quæ judiciorum objecta quædam intelligibilia & abstracta non contineat; & quæ intelligibilibus quandoque & abstractis argumentis aut evolvendo, aut demonstrando non utatur. Ut ecce: *Decrescant ne vires corporum, quæ in orbem diffunduntur, in inversa ratione quadratorum distantiæ a centro?* intelligibilis quidem & abstracta inquisitio est; simul tamen pertinet ad *Physicam*. Item: *Colendus*

lendus ne sit Deus super omnia? aut: *diligendi ne homines sicut nos ipsi?* Inquisitiones sunt etiam intelligibiles & abstractæ; spectant nihilominus ad *Ethicam*. Nihil addam de *Mathesi*, præsertim *pura*, cujus argumenta omnia ejusdem generis esse, idest intelligibilia & abstracta, nemo ignorat. Nec prætereundum, nihil interesse, sive id genus objecta solo intellectu ac ratione cognoscantur, sive suas etiam in eorum intelligentia partes habeat *phantasia*, sive vis imaginatrix. Quo enim *metaphysica* dicantur, sat est non esse illa *sensibilia*, nec ulla *actoritate credita*.

§. CIX. Voco tandem *objecta historica*, quorum cognitio neque a sensibus ingeritur, neque pura ratione formatur, sed per auctoritatem adquiritur *ad Criticæ* leges exactam. Id genus objectorum plenæ sunt *Historiæ* universæ; quippe quæ in enarrandis præteritorum temporum factis, quoad latissime patent, eæ totæ occupantur. Nec ulla quoque Disciplina est, quæ *partem historicam* non complectatur nedum propriæ originis, progressus, vicissitudinum, cultorum, similium; sed & sententiarum quoque diversarum in ea argumenta, quæ versat, enucleatque. Quod & factum bene. Ablata enim a Disciplinis parte *historica*, quæ superfunt, scheletro similia videntur; atque *docendo* tantum, nec simul *oblectando*, patientissimorum quoque Lectorum ingenia lassant, defatigantque.

§. CX. Sunt igitur judiciorum quorumcum-

que nostrorum objecta triplicia, *physica* & *sensibilia*, *metaphysica* & *intelligibilia*, *historica* & *credibilia*. Ad tria autem suprema genera istæc revocari omnia & singula posse, de quibus a nobis judicia feruntur, non est in dubio. Enimvero in *actuali* eorum cognitione vel intervenit ministerium sensuum, vel solius intellectus, vel auctoritatis. Neque enim est aliud cognoscendi medium, si recte conjicio. In priori autem casu sunt objecta *physica*, in secundo *metaphysica*, in tertio *historica*. Ceterum quum hæc docemus, caveant, ne sibi in animum inducant tirones, circa objecta quum *physica*, tum *historica* nullum esse intellectus ministerium. Adest enim quammaximum: quin & totum in judiciis de utroque ferendis artificium solius intellectus est, non sensuum, non auctoritatis. Distinguimus autem illa ab *objectis metaphysicis*, quatenus indita tantum sibi vi intellectus ista cognoscit; *physica* vero nonnisi ope sensuum, atque auctoritatis ope tantum *objecta historica*.

§. CXI. His in antecessum evolutis, facillimum nunc fuerit veritatum genera nosse, ac determinare. Scilicet quum *veritas logica*, de qua heic sermo, in conformitate judiciorum cum objectis, de quibus feruntur, sita sit (§. 17.); tot consequenter statuenda erunt veritatum genera, quot sunt judiciorum objecta ipsa; ut patet. Hæc autem vel *physica* sunt, vel *metaphysica*, vel *historica* (§. 107. seqq.). Et veritates igitur aliæ sunt *physicæ*, aliæ *meta-*

ta-

taphysicæ, aliæ *historicæ*; quarum priores sistunt in conformitate judiciorum nostrorum cum objectis *physicis* ac sensibilibus; secundæ cum *metaphysicis* & intelligibilibus; postremæ cum *historicis* & credibilibus. Atque hæc quidem trimembris veritatum divisio quum ex superioribus fluxu quodam naturali, ac necessario sequatur; everti consequenter nequit, nisi prius superioribus principiis eversis. Sed & sensu quoque optimorum communi nititur, penes quos ea vulgo recepta. Porro si hæc rite invertantur, totidem *falsitatis*, *errorumque* genera oborientur; ut patet.

§. CXII. Sed ad *certitudinem*, quæ præcipuus est harumce (§. præc.) veritatum character, gradum faciamus. Ea perinde est generatim, ac *firmitas*, *immobilitas*, *invariabilitas*; adeo ut *veritas certa* perinde sit ac veritas *firma*, *invariabilis*, *immobilis*. Sed duplex in judiciis *certitudo* distinguenda, quarum altera ex objectis in illa derivatur, de quibus feruntur; quatenus videlicet immobiliter ea sunt talia, qualia judicantur: altera a mente ipsa, quatenus firma illis adsentitur persuasione, nec minimum valet de eisdem hæsitare. Priorem *objectivam* dicere possis; *subjectivam* hanc posteriorem; quatenus ipsa mens nedum causa effectrix, sed & subjectum quoque est eorumdem judiciorum.

§. CXIII. Certitudo *subjectiva*, sive mentis, simplicissima est, summa, graduumque impatiens. Nam nisi summa, plena, perfecta, non

non *certitudo* erit, sed *incertitudo*. Nec tutissimum ea est veritatis judiciorum argumentum: quemadmodum nec *incertitudo* tutum argumentum falsitatis eorumdem. Fieri enim potest, ac fit sæpissime, in iis præsertim, qui seria, matura, & pacata de rebus examina negligere solent, ut mens *certa* sit quidem de veritate, aut falsitate judiciorum; quæ horum autem putantur vera, sint falsa, & quæ falsa, vera existant. Similiter fieri potest, ut mens ob imbecillitatem, aut ejusdem examinis neglectu hæsitet ipsa quidem de eorumdem judiciorum veritate, aut falsitate; interea dum ea immobiliter vera sunt, aut falsa. Oritur ea tandem certitudo mentis, sicut & incertitudo ex judicio, quod ipsa efformat quum de *principiis*, tum de horum *adplicatione*, tumque demum de *illatione* consectariorum, de quibus ea certa est, vel incerta. Nam si principia putat vera, adplicationem adcuratam, ac legitimam illationem; certa est de consectariis inde deductis: sin contra, hæsitans, & incerta. Ubi opportune monendi tirones, ne certi umquam, aut hæsitantes sint de veritate, aut falsitate consectariorum, nisi prius quum principiis, & applicatione, tum illationibus rigido, maturoque examine libratis. Ea unica errores heic declinandi via.

§. CXIV. Hæc de *subjectiva*, & *extrinseca*. Adeamus certitudinem *objectivam*, & judiciis ipsis *intrinsecam*. Mutuantur eam certitudinem judicia vel a natura objectorum ipsorum, de quibus

quibus feruntur; vel ab *hypothesibus* adjunctis; quorum utrumque efficit, ut judicia vera, *immobiliter vera sint*, æque ac *immobiliter falsa*, quæ falsa fuerint. Ita si dicam: *triangulum est trilaterum; circulus est figura sphærica; homo rationis particeps*: sunt ea judicia firmiter, invariabiliterque vera, certitudine ex ipsa trianguli, circuli, hominisque natura deducta. Sin vero dicam: *stantibus naturæ legibus, semotisque obstaculis, gravia deorsum ruunt*; erit hoc etiam judicium certo, immobiliterque verum, certitudine tamen ex *hypothesibus* adjunctis derivata; quibus fit, ut æque ac priora illa nulla prorsus ratione in falsum commutari possit. Finge namque, causa quacumque posse in falsum commutari. Ergo vel naturæ leges commutatæ erunt, vel obstacula aliqua subposita, ne ea deorsum ruant. Alioquin quomodo pensilia in libero aere consistent gravia corpora? Utrumque autem evertit adjunctas *hypotheses*.

§. CXV. Atque hæc aptanda certis judiciis omnibus quacumque veritate pollentibus, *physica*, *metaphysica*, *historica*. Omnia scilicet certa, & invariabilia vel ex objectorum *natura* & *essentia*, de quibus feruntur; quæ aliter ac est, esse non potest, quin ipsamet objecta simul pereant; vel ex *hypothesibus* adjunctis, sub quibus judicia vera nullatenus possunt in falsa commutari. *Hypotesis* in veritatibus *historicis* est illa *eventus jam præteriti*, sub qua fieri nequit, ut vera judicia commutentur in falsa. Quia nulla

nulla potentia fieri potest, præteritum non præteriisse. Quo spectat Aristotelis illud communi virorum doctorum sensu probatum. *Hoc uno privatur Deus, infecta fieri, quæ facta sunt*. Atque ista quoque *objectiva* certitudo, æque ac *subjectiva* illa mentis (§. 113.), simplicissima est, summa, absoluta, nec ullos umquam gradus admittens. Alioquin si ullos gradus admitteret, non firmitas, non invariabilitas, non certitudo foret, sed incertitudo; ac major illa quidem, vel minor pro numero graduum, quos admitteret. Ex quibus intelligimus, certitudinis divisionem illam in *physicam*, *metaphysicam*, & *moralem*, quæ numero graduum sint inter se diversæ; quemadmodum innuere videntur Logici; commentitiam esse, & a certitudinis natura maxime abhorrentem.

§. CXVI. Sed horum usus, illosque egregios pro vita humana tandem subjiciamus est opus. Noverint itaque tirones, veritates semel detectas numquam, nisi forsitan imbecillitate memoriæ, amitti posse, nec in falsitates commutari: quia judicia vera æternum vera; sicut & æternum falsa, quæ semel falsa fuerint. Hæc quum noverint, illud una intelligent, & mores etiam uniformiter ad hujusmodi veritates de Deo, de nobis ipsis, deque ceteris hominibus conformatos, æternum quoque bonos esse; sicut vicissim semper pravi futuri erunt, qui ab illis semel dissenserint; ac illos propterea semper præmio, hos pœna semper dignos. Sed ea de re uberius Ethici.

CA-

CAPUT XIII.

De physicæ, methaphysicæ, & historicæ veritatis indiciis, quibus a falso secernantur.

§. CXVIII. Constitutis tribus veritatum generibus, *physica*, *metaphysica*, *historica*, determinanda nunc *indicia*, *signa*, *vera criteria* sunt, quibus ab earum inquisitoribus dignoscantur, & a falso secernantur. Nam in in hunc finem proposita reipsa hominibus esse hujusmodi *criteria*, quamquam Scepticis omnia in dubium vertentibus denegatum, in primis pseudo-Huetio; vix ulla tamen probatione indiget. Si enim Deus nedum vehementissimum & irrequietum sciendi desiderium hominum pectoribus indidit (§. 100.); sed & plura etiam scire voluit reipsa (§. 101.); consequens est, & veri sciendi *indicia* tradere illis debuisse, ac de facto tradidisse. Quamombrem sic integrum ea de re examen ineundum, ut inter tot *veri criteria* a Logicis tradita, ac tradibilia, quod verum ac germanum fuerit, deligatur, ceterisque præferatur; idque brevissime. Non enim longas dissertationes evulgare (quod a Logica alienum) nobis, est animus; sed veri tantum inquirendi præcepta tironibus tradere.

§. CXTIII. Est itaque *veri criterium* signum, aut indicium illud, quo vera internoscimus,

ac

ac secernimus a falsis. Ita indicium illud, quo hunc calamum esse scio, non perspicillia, non atramentum, non quidpiam distinctum atque diversum; veritatis hujus *criterium* adpellatur. Ast quodnam indicium istud erit? Proculdubio illud ipsum, per quod calamus in se calamus potius est, quam quævis res alia a calamo diversa. Quodvis enim ens per ea, a quibus ejus natura constituitur, ac distinguitur a ceteris, per eadem internoscitur. Hac unica res agnoscendi via sublata, nulla alia supererit; ut patet.

§. CXIX. Quum autem generale principium istuc nulli sit exceptioni obnoxium; clare intelligimus, veritatis criterium situm esse oportere in *notis characteristicis*, sive peculiaribus proprietatibus, quibus unaquæque res est id quod est, atque a ceteris distinguitur. Scilicet vera cognoscimns esse judicia, quæ de rebus efformamus, ope *notarum characteristicarum*, quæ rebus, de quibus illa ferimus, insunt; falsa vicissim, si eædem *notæ* deerint, insintque diversæ. Ita si dicam, *hunc esse calamum*; veram esse intelligo enunciationem istam ope *notarum characteristicarum*, quæ eidem rei, de qua illam efformo, inhærent, & quæ calamum constituunt; cujusmodi sunt e. g. interna cavitas, desinentia ex altera parte in scissum acumen, ex altera in plumam, usus ad scribendum idoneus, & ita porro. Quod si dicam, *illum esse perspicillia*; hanc aliam enunciationem intelligo esse falsam; quia *characteristicæ* perspicillio-

liorum *notæ* desunt, insuntque diversæ; quia, inquam, desunt vitra in orbem disposita, deest arcus, deest usus ad clarius acutiusque videndum idoneus, desunt perspicilliorum *notæ* ceteræ, insuntque oppositæ, atque diversæ.

§. CXX. Atque hæc locum quidem habent nedum in *physicis*, ac *metaphysicis*, sed & in veritatibus quoque *historicis*, de quibus supra (§. 111.) Nisi quod in veritatibus *historicis* præter rerum, quæ narrantur, *notas intrinsecas*, spectandæ quoque sint & *notæ extrinsecæ*, a *peritia*, ac *probitate* narrantium Historicorum deductæ, quod scilicet nec decepti sint ipsi, nec nos decipere voluerint. Ita enuuciationem hanc, *multa Romanorum millia ad Cannas ab Hannibale fuisse cæsa*, agnosco esse veram, tam *ob notas* Hannibali *intrinsecas*, puta quia juratus erat Romanorum hostis, quia Dux invictissimus, quia tot præcedentibus victoriis inflatus, & ita porro; quam ob *notas* alias *extrinsecas* in Historicorum fide constitutas; quatenus qui talem tantumque facinus narrant, nec decepti ob peritiam ac sagacitatem sunt ipsi, neque ob probitatem bonamque fidem nos decipere voluerunt.

§. CXXI. Quæ cum ita sint, circa veri *criterium* statuere generale principium heic modo licebit, casui cuivis peculiari pro opportunitate aptandum, quod est hujusmodi: *Quidquid per intrinsecas, extrinsecasve characteristicas notas cognoscitur, tale est, quale cognoscitur; ideoque verum*. Notum namque per *criterium*.

Qui-

Quinimmo id genus cognitiones per *notas intrinsecas* sunt *scientificæ*, ac *philosophicæ*; quia per causam, sive per rationem sufficientem, cur potius sint, quam non sint, hoc modo potius, quam alio (§. 26.): licet *notæ extrinsecæ* non pariant nisi *fidem*. Qua de re suo loco. Interim principium istud tanto verius mihi videtur atque germanius, quanto tacita quadam philosophandi ratione, ac incitante, ducenteque natura eo generaliter uti solemus in librandis judiciis, eorumque veritate, ac falsitate stabilienda. Neque enim principium aliud præ oculis habemus, dum quidpiam verum ne sit an falsum, investigamus. Est porro velut lydius lapis, ad quem inquisitiones omnes exiguntur: ac tunc solum vera nos detexisse putamus, dum hæ *notæ* rerum *characteristicæ* nobis perspectæ fuerint: alias hæremus semper dubii, hæsitantes, incerti.

§. CXXII. Quamobrem idem principium, idemque *criterium* in naturalium studio Disciplinarum sic tironibus proponendum putamus, quatenus spectare illud debeant tamquam *fidum* inquisitionis omnis *ducem*; atque tutissimum detectæ veritatis *indicem*: neque verum detexisse se umquam reputent, nisi *characteristicas* veri *notas* prius intellexerint. Ubi & distinguendum ab illis volumus inter *sufficientia* rerum *indicia*, & *insufficientia*: inter *notas*, inquam, quæ harum potius quam aliarum rerum sunt *propriæ*, & ideo *constantes* & *invariabiles*, atque clarè tutoque dignoscuntur; ab illis, quæ *vagæ*,

for-

fortuitæ, *variabiles* dici poſſunt, & *communes*, nec ſatis clare ſunt tutoque cognitæ. Nam ut priora *indicia*, priores *notæ* certam evidentemque veri cognitionem, ideoque *ſcientiam* pariunt; ita & *indicia* poſteriora, poſteriores *notæ* non pariunt niſi cognitionem illius *mere probabilem*, ac puram putamque *opinionem*.

§. CXXIII. Sed tria in hæc quæri poſſunt, quæ non ſunt callido prætereunda ſilentio. Primum: ſi hæc vera ſunt, quid porro fiet de *evidentia* tantopere in ſcholis decantata, & pro veritatis criterio vulgo recepta? Secundum: abjiciendum ne conſequenter, an retinendum principium illud alias probatiſſimum, ac vulgo notum: *Quidquid evidenter*, ſive *clare diſtincteque percipitur*, *eſt verum*, *eaque de re poteſt adfirmari*? Tertium: ſi res per ſuas reſpective *notas* cognoſcuntur, quo alio criterio perſpectæ nobis erunt *notæ* ipſæ? Num per *notas notarum*? Ita progrediemur in infinitum. Per ſeipſas? Ita cognoſcentur ſine diſtincto, quale ceteroquin eſſe debet, criterio.

§. CXXIV. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum. Evidentia, ſive clara diſtinctaque rei perceptio, conſectarium potius eſt, & quodammodo effectus criterii, non criterium ipſum. Criterium enim palam rem menti ſiſtit, atque a ceteris ſecernit: tum mens a criterio monita & excitata illam evidenter cognoſcit. Deinde criteria quum ſint *ſigna*, ſive indicia rerum, non menti cognoſcenti, ſed rebus ipſis cognitis ineſſe debent, ut per ea cognoſcantur, ac ſe-

cernantur. Quocirca non perceptiones ipsæ quantumvis claræ, & evidentes, sed *notæ* potius *characteristicæ* rebus ipsis inhærentes earum criteria erunt. Et sane datæ cujusvis arboris e. g. quænam alia indicia sunt, quibus cognoscitur, & secernitur, nisi truncus, cortex, rami, flores, folia, fructus; *notæ* scilicet illius *characteristicæ*? Erit ne forsitan, unde ea de re dubitemus? Nec tandem in rei cujusvis investigatione aliud præposse contendimus, præter *characteristicas* ipsius *notas*; quibus jam cognitis, ulterior statim cessat inquisitio omnis, ac rem ipsam, cujus illæ sunt *notæ*, jam detexisse gratulamur. Verbo: qui evidentem rei cognitionem pro ejusdem criterio habent, *signum* cum *perceptione signi*, effectum cum sua causa confundunt. Quo quidnam absurdius, & ineptius?

§. CXXV. Ad secundum. Principium illud (§. 123.) egomet etiam retinendum esse ajo; quia ubi evidens rei perceptio, ibi & *criterium* adest, *notæ* scilicet ejusdem *characteristicæ*, a quibus evidens ea perceptio in mente excitatur; proindeque ibi etiam præsto est & veritas ipsa. Hæ enim *notæ*, ut rem constituunt, ita quum illam menti sistunt, & patefaciunt eamdem simul, & ab aliis secernunt. Quamobrem *quidquid evidenter percipitur, est* utique *verum*; quia evidentem rei perceptionem in mente excitat præsentia notarum *characteristicarum*, quæ eidem rei inhærent; non quia evidens perceptio ipsa sit veri criterium,

§.

§. CXXVI. Ad postremum ; *notæ characteristicæ*, quarum indicio res cognoscimus, perspectæ nobis fiunt per *notas* alias, quas complectuntur, & hæ per alias, quousque per intelligentiæ vires eas scrutari, evolvere, ac detegere licuerit. Eædem *notæ notarum* commode dici poterunt ; nec opus erit in infinitum in earum investigatione progredi ; quin nec longe admodum illam diducere : quia ut quidpiam certo tutoque cognoscamus, ac secernamus, sat est *proximas* ipsius *notas* perspectas habere. Ita arborem cognoscimus per fructus: fructus per magnitudinem, figuram, odorem, saporem : magnitudinem per mensuras: figuram per partium dispositionem: odorem per gratas ingratasque olfactus sensationes: saporem per dulcedinis, & amarulentiæ sensum, & ita porro, quin progrediundum sit in infinitum. Sed de *veri indiciis* hucusque (*a*).

(a) Variæ ; ac multiplices *de veritatis criterio* veterum, ac recentiorum Dialecticorum sententiæ legi a tironibus nostris poterunt apud Genuensem, cujus volumina omnium jam manibus teruntur. Nam odi inutiles excursus, ubi patens, ac latissime strata (ut in re nostra) est via regia. Sunt enim ad otiandum tantummodo comparati. Nihil autem indignius viro philosopho, scilicet serio, maturo, gravi, utilibusque tantum & commodis rebus intento, quam otiari.

CAPUT XIV.

De physicæ, metaphysicæ, & historicæ veritatis inquirendæ mediis, sensuum experientia, mentis ratione, & auctoritate ad Criticæ leges exacta: deque nova Logicæ partitione, novoque, ac genuino lucubrandi ordine.

§. CXXVII. EST caput istuc postremum prioris Libri velut consectarium, ac summa Capitum præcedentium. Ut adeo nec nobis in eo contexendo, nec tironibus in intelligendo valde adlaborandum sit, aut insudandum. Sat memoriæ revocasse fuerit, quæ in superioribus demonstrata fuere.

§. CXXVIII. Itaque quum veritas, ad cujus adsecutionem tirones nostri contendere debent, partim caligine quadam obducta sit, partimque erroribus ac præjudiciis immixta; *media* omnino aliqua necessaria sunt, eaque heic adcurate deligenda ac determinanda, quibus ex ignorantiæ tenebris, errorumque confusione eruatur, atque per sua respective *indicia*, notasque *characteristicas*, de quibus Capite præcedenti (§. 119. seqq.) meridiana in luce collocetur. Etenim quod communi Ontosophicorum proloquio firmatum. *Qui vult finem, & media quoque velle debet ad illius adsecutionem necessaria, & aptata.* §.

§. CXXIX. Quænam vero media istæc sunt veritatibus inquirendis, & adsequendis? Haud difficile fuerit definire. Quum enim veritas omnis vel *physica* sit, vel *methaphysica*, vel *historica* (§. 111.): hinc totidem esse oportet earum adsequendarum media, scilicet *SENSUUM EXPERIENTIAM*, *MENTIS RATIONEM*, *ET HOMINUM AUCTORITATEM ad Criticæ* leges exactam. Ac sensuum quidem *experientia* medium est adsequendis veritatibus *physicis*: mentis *ratio metaphysicis*: *auctoritas historicis*. Nam & *physicæ* veritates nonnisi sensuum corporeis rebus adplicatione, & *metaphysicæ* nonnisi rationis ope, ac *historicæ* demum solo auctoritatis usu ad *Criticæ* leges exactæ inquiri, & inveniri possunt.

§. CXXX. Absit vero, ut quum hæc statuimus, illud in mentem veniat, *rationem* in investigatione veritatum dumtaxat *metaphysicarum* locum habere. Quinimmo seriam illam, intentamque semper esse volumus & in veritatibus quum *physicis*, tum *historicis*, tamquam inquisitionis omnis rectricem, moderatricem, ac magistram: quæ nimirum rerum in primis utilium delectum faciat: quæ ordinem, ac nitorem ubique servet: quæ errores devitet: quæ labores imminuat: quæque omnia ad totius Philosophiæ (§. 81. seqq.), ac studiorum omnium *scopum* ac *summam*, idest ad *beate vivendum* per *pietatis*, *justitiæ*, ac *sobrietatis* vestigia referat. Tantum dicimus, quod, supposito ubique *rationis* regimine, veritates *physicæ*

ficæ nonnisi per *experientiam*, *metaphysicæ* per *rationem*, *historicæ* per *auctoritatem* inquiri, & inveniri possint. Quo quidnam verius, ac luculentius dici potest?

§. CXXXI. Atque hinc nova, si recte memini, Logicæ partitio sese ultro nobis exhibet, quæ ex superioribus fluit suapte natura. Scilicet quum Logica *ars sit inquirendæ veritatis* (§. *6.*); veritas autem alia sit *physica*, alia *metaphysica*, alia *historioa* (§. 111.); easque respective investigandi media sint *sensuum experientia*, *mentis ratio*, & *humana auctoritas* ad Criticæ leges exacta (§. 129.): palam, & sine controversia est, *Logicam*, si quidem uniformiter ad naturam ejus, ac ingenita munera loqui velimus, in tres omnino partes dividendam esse, quarum prima artem doceat inquirendi veritates *physicas* per *experientiam*, secunda *metaphysicas* per *rationem*, tertia *historicas* per *auctoritatem* ad *Criticæ* leges exactam.

§. CXXXII. Hæc itaque *Logicæ* partitio vera, germana, naturæque ejus quammaxime aptata: quippe quæ ex ejus idea, ac natura suapte sponte fluens, non vi quapiam extorta. Ac si quartam his partem, quæ priori hoc Libro continetur, adjecimus, ea non tamquam compars proprie dicta, quæ cum tribus subsequentibus Logicæ corpus constituat, nobis spectatur; sed instar *Apparatus* ad easdem. Ea de causa priorem hunc Librum non forte fortuna, sed prudentes scientesque *præliminarem* adpellavimus (§. 1.). Siquidem ea est Disciplinarum omnium

omnium indoles atque conditio, ut quædam integro earum corpori collustrando ac dirigendo inserviant; eaque de causa in antecessum præmittuntur; alia ad idem construendum, & conformandum tamquam integrantia membra pertineant; atque ob id in ipsomet corpore suis aptis opportunisque locis collocantur.


§. CXXXIII. Scio autem, me a vulgari Dialecticorum omnium quum veterum, tum recentiorum *Logicæ* partitione, & construendi methodo discessisse, etiam ab ea, qua nuperrime usus est Genuensis in *Logica* italico idiomate conscripta; atque ab alia, quam adhibuit P. Mako in *Compendiaria Logicæ institutione*. Verum quo justo id consilio a nobis factum, mox dicebamus (§. 131.) Neque quum divisionem, methodumque hanc nostram ex ipsa *Logicæ* natura, intimisque si ita quidem loqui fas est, præcordiis ac visceribus fluere dicimus, ceterisque subinde præferendam putamus, quidquam propterea illarum auctoribus detrahere est animus. Quippe ad propositum dumtaxat erudiendi juventutem, quod in illis fuit, & quo, Tullio teste, *nullum munus reip. afferri potest majus*, animum intendentes, eos summopere laudamus; ceteris aliorum judicio relictis, non minus quam his nostris. Quippe *inter nullos magis*, si Senecæ fides, *quam inter Philosophos esse debet æqua libertas*.

§. CXXXIV. Tandem artem inquirendæ veritatis *physicæ per experientiam* primo loco evolvendam posuimus; idque non sine ratione, & consilio. Est enim in primis ob sensuum

in ea uſum duabus aliis facilior, & communior. Tum eſt etiam earumdem velut baſis, ac fundamentum: propterea quod primæ rerum ideæ ſenſuum miniſterio adquirantur. Quumque *experientiæ meditatio* ſuccedat, & *critica* diligentem poſtulet *meditationem*; hinc ſecundo loco artem ſubjecimus inquirendæ veritatis *metaphyſicæ per rationem*; ac poſtremo tandem artem inquirendæ veritatis hiſtoricæ per *auctoritatem* ad *Criticæ* leges exactam. Atque de priori *Artis inquirendæ veritatis* Libro jam ſatis multa.



AR-



ARTIS
INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBER II.

De arte inquirendi veritates physicas per sensuum externorum experientiam.

§. I. ABsoluto in priori horum *Elementorum* Libro ad tres subsequentes *Apparatu*, rem ipsam adgredimur. Initium autem ducimus ab *arte inquirendi veritates physicas per sensuum experientiam*, ob divisionem superius (Lib. I. §. 131.) propositam, & rationem ibidem (§. præc.) traditam. Sit igitur.

CA-

CAPUT I.

De sensibus externis, eorumque ministerio in delitescentium veritatum physicarum investigatione.

§. II. SUnt *sensus externi*, sive *externa organa sensoria* illæ humani corporis partes, in quibus quum rerum sensibilium impressiones fiunt, atque ad cerebrum mentis sedem atque tribunal propagantur, anima ad earum rerum perceptiones, ac sensationes determinatur. Horum numerum, ac ministeria Lib. II. *de verbis Domini* sic pulcre describit Augustinus: *Sensus carnis hujus quinque inveniuntur. In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba, & nigra, & quomodocumque colorata, lucida, & obscura videndo sentimus. Rauca, & canora audiendo sentimus. Suave olentia, & grave olentia odorando sentimus. Dulcia, & amara gustando sentimus. Dura, & mollia, lenia, & aspera, calida, & frigida, gravia, & levia tangendo sentimus.* Tum stupendam prorsus, divinamque eorum structuram, in primis oculorum, Anatomici, ad quos eorumdem *analysis* spectat, digito commostrant, ac demirantur.

§. III. Adplicatio sensuum externorum corporibus

poribus extra nos circumpositis, dicitur *experientia*. Cognitio autem ea adplicatione parta, & in animo excitata, *experimentalis* adpellatur; cujusmodi sunt omnes, quæ a rebus sensibilibus, & organa moventibus ingeruntur. Est & aliud *experientiæ* genus in adplicatione intellectus ad ea, quæ in nobisipsis fiunt, constitutum, ex qua adplicatione ea, quæ aboritur, cognitio, *sensus intimus*, *intima conscientia*, ac *reflexio* nuncupatur. Ad hanc classem spectant perceptiones omnes, quibus internarum cogitationum, actionumque, ac passionum nostrarum conscii sumus. Porro nisi aliud addiderimus, *experientiæ* nomine semper illam *sensuum externorum* tironibus heic volumus intelligendam.

§. IV. Experientia isthæc, sive sensuum externis rebus adplicatio, immensi usus est in inquisitione *veritatum physicarum*. Quum enim mens cerebro tamquam carcere conclusa nullatenus per se valeat externa sibi corpora repræsentare; pendet ob id ea prorsus a sensuum ministerio, eisque tamquam foribus utitur, ut in earum deveniat cognitionem. Ubi maximas Deo grates ex imo corde referre debemus, qui eatenus illos nobis contulit, ut in divinorum operum primum, tum per gradus quosdam in Dei ipsius intelligentiam, amorem, ac venerationem duceremur, rebusque telluris cum gratiarum actione frueremur juxta beneficos fines ejusdem Conditoris.

§. V. Quo in loco castiganda Scepticorum, in primis pseudo-Huetii audacia est, dum nihil

hil nos de mundo adſpectabili atque corporeo ſcire poſſe ſenſuum miniſterio mentiuntur. Quaſi quod Deus O. M. ideo ſenſus nobis tradiderit, ut circitorum more vanis dumtaxat rerum imaginibus nos ludificaret! Verum iis plane refutandis ſat heic eſſe poſſunt, quæ præcedenti Libro I. a nobis demonſtrata fuere(§.103.). *Conſtantia* enim, & *invariabilitas*, de qua ibi generatim, adeo frequens ac manifeſta ſpectatur in tot tantiſque ſenſuum repræſentationibus, ut cœcus, vel maxime refractarius ſit, oportet, qui de ea audeat hæſitare. Ut ecce: experientia omnium hominum, omnium locorum terra, mari, cæloque disjunctorum, omniumque temporum, ac ſæculorum conſtat, ſolem e. g. eſſe lucidum, calidum, pulcrum: terram innumeris animalibus, herbis, plantis eſſe refertam: mare tot variis, diverſiſque piſcium generibus, quorum non eſt numerus, inhabitari: cælum immenſa ſyderum multitudine, quæ numerari non poteſt, mire, pulcherrimeque exornari, & ita porro: atque hæc preterea omnia in eoſdem *immobiliter* uſus eſſe aptata, ad quos infinita Dei ſapientia, bonitas, atque potentia deſtinavit. Quam ceteroquin *conſtantiam* in his ſenſuum repræſentationibus fruſtra perquireres, niſi res repræſentatæ tales forent, quales repræſentantur. Ut in ſomniis: quæ, quia vana & commentitia, nedum continuo mutantur, ſed & in eos *uſus*, ad quos apta videntur, minime idonea ſunt. Quis enim cibos, equos, nummos e. g. ad manducandum, ad equitandum,

dum, ad commercia agitanda per diem adhibuerit, quos dormitans somniavit per noctem?

§. VI. Ceterum quum sensuum repræsentationes veraces heic esse ajo, non is porro sum, *qui*, referente Tullio, *quidquid* (per sensus) *videtur*, *tale esse dicebat*, *quale videtur*. *Viderit id Epicurus*. *Meo autem judicio* (ut ejusdem Tullii verbis in Quæst. academ. persequar) *maxima est in sensibus veritas*, *si sani sunt*, *& valentes*, *& omnia removeantur*, *quæ obstant*, *& impediunt*. Si, inquam, conditionibus omnibus ad rectas, veracesque renunciationes necessariis muniantur. Alioquin egomet tironibus auctor sum, ut sensuum internunciis, si aliqua conditio desit, fidem minime adhibeant. Sunt autem conditiones istæ potissimum, quæ sequuntur: 1. valetudo, 2. quies, 3. proportionata intervalla, 4. medii uniformitas, ac limpiditas, 5. instrumentorum auxilia, *6*. mentis attentio, ac diligentia. Quæ brevissime, quoad fieri potest, seorsum evolvendæ; ut ita sive in *observationibus* instituendis, sive in capiendis *experimentis* pro *physicarum veritatum* adsecutione, sensuum ministerio tuto, & absque errandi periculo uti valeamus.

§. VII. Ac sensus oportere in primis esse *bene valentes*, nullo scilicet morbo, aut pravo humore vitiatos, decernimus. Alioquin perturbabuntur abnormiter rerum externarum impressiones, quæ in illis fiunt; atque abnormiter quoque deturbatas earum imagines menti repræsentabunt. Quemadmodum iis accidit, qui regio morbo

morbo laborantes, corpora omnia ob id flava conſpiciunt. Contra vero quum ii bene valentes ſunt, res prorſus eaſdem & invariatas eidem menti exhibent: ac ſi qua mutatio irrepſerit, non erit ea certe niſi leviſſima tantum, & accidentalis. Hinc ſi *pietas* e. g. *temperantia*, *æquitas* in alba quadam chartula ſcribam, atque pluribus utcumque hominibus, forma, ætate, temperamento diverſis legendam exhibeam; omnes proculdubio *pietas*, *temperantia*, *æquitas* unanimiter legent; quamquam alter vividiores fortaſſe, alter minus vividos, alter grandiores, alter exiliores characteres ipſos intueatur; nemo tamen leget *cælum*, *terra*, *pontus*, aut quidpiam ſimile. Idem prorsus eveniet, ſi ſcripturæ loco nudis vocibus utamur.

§. VIII. Deinde *quieſcentes* ſenſus eſſe oportet, dum obſervationibus vacant. Quum enim rerum imagines in oculi fundo depictæ mutare ſitum debeant, ſi de loco in locum obſervando transferamur; moveri ob id in contrariam partem objecta videbuntur, quæ ceteroquin immota quieſcunt. Quo ſpectat vulgatiſſimum Poetæ illud:

Provehimur portu, terræque, urbeſque recedunt.

Atque propter eumdem noſtri oculorumque noſtrorum motum non raro evenit, ut motorum corporum imagines non ea ratione in eadem retina ſitum mutent, quemadmodum ad veras illorum *directiones* ſecernendas mutare deberent, ac mutarent reipſa, ſi minime ipſi moveremur.

Qua

Qua de causa fit, ut si quis e mota navi pilam sursum excutiat; *perpendiculariter* relabi illam, communem navis motum insequentem, videat: quum alioquin in navim ea non decidat nisi *oblique*; sicut *oblique* reipsa decidentem conspiciunt, qui ad littora plane quiescentes immorantur.

§. IX. Rursus *intervalla*, ad quæ observationes capiuntur, *proportionata* esse debent, ut neque ob nimiam illorum viciniam objecta observabilia sensus opprimant; neque ob nimiam longinquitatem aut evanescant prorsus, aut nimis parva, & inobservabilia reddantur. Quibus in casibus *characteristicæ* ipsorum corporum *notæ* quomodo nobis perspectæ fient? Quomodo eorum subinde natura, &, quod magis urget, pro nostra aliorumque utilitate *usus*, ac *benefici fines* Creatoris discernibiles erunt? Quamobrem observaturus, num turris e. g. quadrata sit, an sphærica: sistat se ad distantiam detegendis, si qui sunt, angulis sufficientem, ac proportionatam. Tum tuto putet, ejusdem esse illam figuræ, cujus a se ibi esse videtur. Nec refert, quod eminus inspecta, *constanter cylindrica* adpareat. Nam præterquam quod anguli, qui ob longinquiorem distantiam evanuerant, ea postmodum sufficienter imminuta, sensibiles fiunt; *usus* maxime ejusdem turris, quadratæ non sphæricæ figuræ aptatus, citra dubium ostendit, ejus figuram non sphæricam esse, sed quadratam. Mitto horum phænomenorum explicationes *opticas*, tamquam tironum

num, in quorum utilitatem hæc ſcribo, intelligentiæ minus aptatas.

§. X. Ad hæc *medium*, per quod corpora obſervantur, *limpidum* ſit, oportet, ac *uniforme*. Enimvero niſi ſit limpidum, atque heterogeneis particulis defœcatum; objectorum *notæ* caligine quadam obductæ obſervatoris aciem effugient. Hinc fuſco, nubiloque aere, nihil in locis remotioribus, multo minus in corporibus cæleſtibus obſervabile eſt: contra tranquillo, ſerenoque cælo. Niſi vero ſit *uniforme*, objectorum ſitus omnino variabuntur: nummus e. g. in catino aqua pleno immerſus paullo altius videbitur, quam reipſa eſt. Radii enim *optici*, ſive *viſorii*, qui ex illius ſuperficie reflexi in oculos incurrunt, inflectuntur aliquantulum, quum ex aqua (*medio denſiori*) in aerem (*medium multo rarius*) emergunt. Atque hinc quum viſio fiat in directum juxta partem illam radiorum, quæ in oculos incurrit; conſequens eſt, ut paullo altiori in loco idem nummus videatur; quum pars iſta radiorum in directum intra aquam protenſa, in locum paullo altiorem excurrat. Qua facillima methodo reddi quoque ratio poteſt, cur virga recta oblique, ac media ſui parte aquæ immerſa, curva, & inflexa videatur: ac ſol præterea nondum ſupra orizontem elevatus, ob majorem terreſtris atmoſphæræ quam ſpatiorum cæleſtium denſitatem, reipſa ortus appareat. Sed his de rebus plura *Optici*.

§. XI. Præterea quum nuda oculorum acies in-

inquirendis, ac fecernendis corporum *notis* impar eft, & infufficiens; armatos eos effe volumus inftrumentis quamoptimis, ac longo ufu probatis. Enimvero innumera funt, quæ aut ob enormem diftantiam, aut ob incredibilem exilitatem nulla ratione obfervari poffunt, nifi fenfus quorumdam inftrumentorum ope, in primis telefcopiorum, aut microfcopiopiorum muniantur. De quibus fufe inferius.

§. XII. Tandem fenfibus ad externa corpora five *obfervando*, five *experiundo* adplicatis præeffe femper & ubique volumus mentem ipfam, quæ feria, pacata, ac diligenter intenta, fit veluti rectrix, judex, atque exploratrix renunciationum omnium, quæ ab illis fiunt. Ut fi quæ forte furreptio, aut ludificatio quacumque de caufa irrepferit, fupremo *rationis fuæ puræ* judicio pro opportunitate corrigat, omniaque in rectitudinis femitam revocet, apteque componat.

§. XIII. Atque hæ (§. *6.* feqq.) præcipuæ conditiones funt, fub quibus fenfuum repræfentationes veraces habemus, eorumque fidei adquiefcendum putamus. Adeo ut fi qua difformitas in illis aliquando fuperfit cum rebus repræfentatis, ea non fit nifi *mere accidentalis*, & *fortuita*, in perfpicuitatis, magnitudinis, & diftantiarum, fimiliumque rerum gradibus conftituta. Quo fpectat memorandus Tullii locus in *Quæft. acad.* ubi: *Senfuum*, inquit, *ita clara judicia* (repræfentationes intellige) *& certa funt, ut fi optio naturæ detur, & ab ea Deus aliquis requirat: contenta ne fit fuis integris, in-*

corruptisque sensibus, *an postulet aliquid melius? non videam*, *quid quærat amplius*. Quam magnifice simul, & officiose de operibus Creatoris, ac donis summa munificentia nobis collatis *gentilis homo*! Quam de eisdem contra abjecte, & inofficiose scepticus Auctor opusculi *de imbecillitate mentis humanæ*; quamquam & *christianus*, & maxime *theologus* per summam hipocrysim & calliditatem videri, haberique velit! . . . Sed in quæ errorum portenta hominem non inducit novitatis amor, seriæ meditationis neglectus, cordisque corruptio? . . . .

CAPUT II.

De necessitate ipsum naturæ Codicem, *sive adspectabilia Dei opera per sensuum experientiam consulendi*, *quo veritates physicæ certius*, *ac promptius detegantur*.

§. XIV. N*Aturæ librum*, sive *Codicem* voco mundum ipsum adspectabilem atque corporeum, cujus nos exigua pars sumus, nobilior tamen, atque præstantior. Exhibet namque ille nobis propalam tamquam in *Codice* exarata nedum mirabilia Dei opera, eorumque beneficos fines, & usus ad nostram præcipue ipsorum multiplicem utilitatem & commodum; sed & per gradus quosdam in sempiternam quoque Factoris sui atque Rectoris

ris virtutem, ac divinitatem mirum in modum extollit, ſublimatque. Adeo ut non palam, ſed veritus *in corde ſuo*; nec vir ſapiens, ſed *ſtultus* & *inſipiens* dicere audeat apud Pſalmiſtam: *Non eſt Deus*.

§. XV. Porro *naturæ librum* hunc, ſi quidem ab omnibus, maxime a viro philoſopho ipſa ſenſuum adplicatione conſulendum volo in inquiſitione potiſſimum veritatum *phyſicarum*. Quum enim in conformitate eæ ſitæ ſint judiciorum noſtrorum cum corporibus ipſis (Lib. I. §. 111.); ecquiſnam aſſequi illas, aut ſperare umquam poterit, niſi utrinque collatione facta, ſerioque examine prius inſtituto? Niſi, inquam, eadem corpora, corporumque *notæ* adeantur, verſentur diligentiſſime ex omni parte, atque iteratis ſæpe obſervationibus, & experimentis ſubjiciantur? Eadem prorſus ratione, qua nemo prudens originali ſimilem dixerit imaginem, niſi perſpecto prius diligenter, conſultoque *prototypo*.

§. XVI. Sane qui inconſulta per *experientiam* natura, de rebus ſenſibilibus atque corporeis judicia crepant, itinerantibus illis mihi ſimillimi videntur, qui, quum quaſdam nationes nonniſi leviter inviſerint, nec regimen, ritus, leges, ac mores longa conſuetudine, &, qua par erat, diligentia ſcrutati fuerint; tam multa nihilominus de iis proba, atque portenta evulgant, quæ ſubſequentes poſtmodum itinerantes diligentiores fabulis, atque commentis accenſent. Quo & ſpectat fabuloſus plurium

nationum *atheismus*, ne ipsis quidem (quod magis demirari possis) exceptis primitivis christianis, qui, ob rituum, doctrinæ, morumque ignorantiam, *atheis* quoque a quibusdam fuere adscripti. Verbo, qui sine experientia duce de rebus sensibilibus philosophantur, perinde faciunt, ac si quis terrarum australium, quæ hactenus ignotæ, *geographicas mappas* construeret. Quo quidnam stultius, viroque maxime philosopho indignius?

§. XVII. Hæc quum non animadverterent scholæ Philosophi, in inquisitione veritatum *physicarum* naturæ consultationem omnem neglexere, atque de mundo adspectabili in tenebris, ac cellularum quoque foribus obseratis philosophati sunt. Qua de causa factum est, ut a scopo quamlongissime aberraverint; eorumque *Physica* vana, sterilis, horrida, & inculta videatur *Metaphysica*, a Dei operibus tantopere abnormis, societati prorsus inutilis, atque torquendis dumtaxat adolescentum ingeniis, non explicandis naturæ phænomenis aptata.

§. XVIII. Contra vero Recentiores quum intelligerent, harum veritatum *physicarum* solam externorum sensuum experientiam ducem esse atque magistram; aliam viam, eamque germanam iniverunt, viam scilicet *phœnomenorum*. Unde & nativa *physicis Disciplinis* facies magna ex parte reddita, & debitum divinis operibus ornamentum ac decus restitutum, & immensæ utilitates & commoda, quibus fruimur, in societatem collata: quæ magis etiam magisque in dies

dies augere possunt, si, ut in pluribus minus cogitate faciunt, desinant otiari; ac iis tantum in rebus physicis sedulo labore ac studio incumbant, quæ homini fovendo, ac perficiendo apta sunt: Qua de re late postea.

§. XIX. Nec me latet, in amplissimo *naturæ libro* plures esse paginas, quarum lectio non ita facile omnibus concessa: plura scilicet in tam vario, pulcherrimoque mundi theatro esse phœnomena, quorum apta evolutio sive instrumentorum, aut machinarum defectu, sive causa alia quacumque pluribus denegata. Quo in casu grato animo aliorum laboribus utendum, in primis illorum, quorum tentamina in publicis Collegiis, & Academiis vel primum fuere inita, vel denuo iterata, atque probata. Nam aliena spernere prorsus, ac sua tantum amare, superborum proculdubio est, atque sciolorum: quorum impudentia ac petulantia quanto magis ad nauseam usque in quibusdam augetur in dies, tanto magis justa compensatione ac pœna ii ludibrio habentur, ac ingenuis cordatisque viris, *nativis* videlicet *Philosophis* deridentur.

§. XX. Juvenes igitur *physicarum veritatum* inquisitores, quoad per ætatem, ingenium, vires, & commoda fieri poterit, *naturæ* ipsius *Codicem* legant, versent circumquaque, seriaque meditatione, atque apta sensuum adplicatione scrutentur. Ita quippe fiet 1. ut oculari intuitione ipsa longe clarius ac nitidius eas veritates assequantur: 2. ut novarum in veritatum

intelligentiam ſæpe deveniant : 3. ut errores bene multos, ac præjudicia ex animo deponant: 4. demum ut a pulcritudine, ordine, finibus, uſibuſque rerum corporearum in Dei cognitionem promptius, ac facilius evehantur; eumque, diligant ſuper omnia, ac tamquam amantiſſimum Parentem venerentur. Quod in ſcientiarum ſtudiis rite inſtitutis præcipuum, atque illud *unum neceſſarium* ſemper eſſe ajo, de quo in Evangelio : nec ab ea ſententia me quiſquam ratione quacumque ullibi dimovebit.

§. XXI. Velim denique, iidem alta mente reponant, Philoſophorum, primi etiam ſubſellii, linguam longe humiliorem eſſe, atque ad vivas ac genuinas mirabilium divinorum ideas animo ingerendas longe & debiliorem *experientiæ* lingua, lingua, inquam, ipſiuſmet *naturæ*. Philoſophi namque inſtabiles ſæpe ſunt, balbutientes, muti: *natura* autem & *experientia* ſemper eadem, maxime vivax, eloquentiſſima. Illi rudes, hæc diſerta : illi diſcipuli, hæc magiſtra. Quam pulcrior naturæ iris picto utcumque iride Philoſophorum! Quam elegantiores naturæ flores pictis quoque floribus librorum! Quam ſpectabiliora tandem Dei magnalia quibusvis vel elaboratiſſimis operibus artificum humanorum! Dicam verbo, dicamque ſerio, & cogitate : ſi alia cum aliis apta collatione conferantur, erunt illa pulcritudo ipſa, hæc deformitas : illa ordo, hæc confuſio : illa lux, hæc tenebræ. Atque ſi quem pulcritudinis, ordiniſque gradum humana quædam artefacta præſeferre videantnr ; ſpectandus

is

ts velut æmulatio, imitatioque *naturæ*. Quam graviter & cogitate regio Psalmographo fere in ecstasim repto dictum: *Quam mirabilia sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione* (gloria) *tua!....* Ipsa itaque Dei magnalia, ipsum naturæ *Codicem* consulere, scrutari, demirari paullatim adsuescant, quantum possunt, tirones nostri; si quidem Philosophi nativi, veraces, Deoque obsequentes, ac sibi, & reip. utiles esse velint.

CAPUT III.

De inquisitionis hujus veritatum physicarum utilitate uberrima: deque delectu in ea faciendo.

§. XXII. P*Hysicarum veritatum* studia ingentes humano generi utilitates adferunt. Principio præter magnum illud animi oblectamentum, quo in contemplatione perfundimur pulcritudinis, ac varietatis corporeæ naturæ; immensa quoque, ac multiplicia commoda sunt, quæ naturæ hominum animali fovendæ, ac perficiendæ ex eo studio promanant. Hinc quippe tot machinæ, & instrumenta, & artes societati tantopere salutaria oborta. Hinc aucta *Nautica*, & *Mechanica*; exculta *Herbaria*, & *Agricultura*. Hinc perpolitæ *Astronomia*, *Geographia*, *Medicina*, *Chirurgia*, *Chimi-*

ca. Hinc demum proventus omnes, ac voluptates ex animalibus, ex metallis, ex tincturis, ex corporibus omnibus immensa copia profecti.

§. XXIII. Verum enim vero non solis terrenis hisce, atque caducis commodis studia isthæc coercentur. Conferunt præterea nobis utiliora, & præstantiora longe bona, inter quæ illud præcipuum, quod contemplatione ordinis, pulcritudinis, & harmoniæ partium universi, in Dei factoris, ac provisoris sui cognitionem rapiamur. Sunt enim totidem linguæ, quæ gloriam, ac magnificentiam enarrant Conditoris. Hinc Newtonus, magnus ille *naturæ* scrutator & contemplator, audito *Dei* nomine, totum se, referente familiari suo discipulo Clarkio, in obsequium, ac venerationem devotissime componebat. Tum & hoc aliud, quod ex eodem mundi ordine, internaque constitutione *naturalem legislationem* intelligamus, atque ad *sobrietatis*, *justitiæ*, ac *pietatis* officia incitemur. Quinimmo quum naturam universam *mechanicas* sibi præscriptas *leges* sancte servare observamus, ac solum hominem *leges morales* sibi injunctas conculcare, vivereque exlegem, ex indomito arbitrio; magna proculdubio confusione obruimur tantæ improbitatis, ac pervicaciæ; indeque ad meliorem frugem sensim sensimque revocamur.

§. XXIV. Nec illud silentio prætereundum, studio ipso, & contemplatione *naturæ* innumera nos anteactæ ætatis præjudicia deponere, in primis *panicos* quosdam *timores*, qui risum eli-

eliciunt potius, quam refutationem ullam exigere videantur. Illustre exemplum habemus in anno 1770. (si recte memini), mense Januario, quum *auroræ borealis* fulgoribus cælum hoc nostrum consentinum sub nocte silenti flammescere, atque omnia absumere velle videretur. Enimvero indocta plebs, innoxii phœnomeni prorsus ignara, sus deque commota est, exustionem, nescio quam, Civitati imminentem pertimescens. Hinc mille lacrumæ, & ejulatus ad sydera jacti: nec sedari ea umquam potuit, nisi publicis precibus indictis. Porro *pietatem* ea in re plurimum commendabant viri docti: cetera, in *emphatici* phœnomeni theoria satis instructi, ridebant. Panicum hunc [illegible] timorem illud magis magisque comprobabat, quod e medio adparentium harumce flammarum frigidissimus adeo ventus borealis exufflaret, ut & lustrales aquas ubique viarum in glaciem converteret, & omnia frigore rigerent acutissimo: quum vicissim ferventissimi nimium, urentesque calores exundare debuissent, si eæ non *emphaticæ*, sive adparentes, sed veræ, ac reales flammæ fuissent.

§. XXV. Verum ut hæc rerum physicarum studia has (§. 22. seqq.) utilitates, & commoda nobis conferant, principiis omnino, quibus regantur, utendum, & delectu. Ac de principiis dicam Capite sequenti. Delectum vero quod spectat, fugienda in primis ea omnia, quæ ignorata non nocent, nec juvant scita. Cujusmodi sunt sempiternæ disputationes illæ de

cor-

corporum divisibilitate, de gravitatis origine, de spatii natura, existentia, & possibilitate, de qualitatibus corporum, de æstu maris reciproco, de planetarum systemate, deque millenis id genus aliis, quæ jam tædet percensere. Ac si ea nolumus prorsus omittere; libemus ea tantum levissime; & ea quidem parte, ubi gradus aliquis cubat probabilitatis, & utilitatis. Ceteris meliora, ac utiliora præferamus. Equidem Scholasticos irridemus, quod eorum *Physica* tota disceptatrix esset, ac muscarum captatrix; interim aerem ipsi quoque verberamus in diem, & latratus æternum jactamus in lunam! . . . .

§. XXVI. Missis igitur, quæ aut arcana & inutilia, aut ficta & idealia videntur, ea tantum seligenda, ac sperimentali studio subjicienda, quæ generatim 1. fugandis doloribus corporis, & ægritudinibus mentis conducunt: quæque 2. vitæ hominum quum animali, tum morali fovendæ, ac perficiendæ apta sunt. Hujus autem generis argumenta plura societati utilissima suppeditabunt *Physicæ* partes universæ, in primis vero *Mechanica*, *Medicina*, *Nautica*, *Metallica*, *Astronomia*, ceteræ. Utinam vero *Physica* universa solius maris, terræ, aerisque cultura a viris summis coerceretur! Utinam tota Physicorum occupatio in promovenda, ac perficienda piscatione, agricultura, ac iis præterea artibus aliquando intenta esset, quæ humanæ societati emolumenta plura adferre solent. Frustranei næ, ac reprehensione digni

gni labores omnes, in primis scientifici, qui huic scopo non collimant! . . . .

§. XXVII. Hæc juvenes *physicarum* veritatum inquisitores præ oculis habeant. Caveantque etiam diligenter, ne in earum studio curiositate potius, quam utilitate ducantur. Quocirca non tam rerum naturam, adfectionesque varias, quam earum pro societatis commodo *usus* varios, ac beneficos *fines* Conditoris in iis parandis ac largiendis insequantur. Hæc vera Philosophia.

CAPUT IV.

De præcipuis quibusdam animadversionibus, quibus physicarum veritatum inquisitio regenda.

§. XXVIII. EA est infelix humanarum actionum conditio, ut, nisi quibusdam principiis, de quorum certitudine ac veritate non ambigitur, opportune dirigantur, a recto tramite sæpe sæpius aberrent; sive id imbecillitate mentis fiat, sive malitia, aut oscitantia. Ea de causa quo in veritatum physicarum investigatione tirones recta contendere possint, quædam generaliora principia ob oculos semper habenda illis proponimus; propostituri alia minus generalia, ubi *de observationibus, & experimentis rite instituendis* paullo in-

inferius differemus. Ea autem sunt hujusmodi.

§. XXIX. Primum: *Ad realem Dei mundum minime pertinere, sed ad idealem tantum & Philosophorum, quæcumque sub fictis hypothesibus demonstrantur*. Ex ficta namque *hypothesi* nonnisi *ficta* pariter *illatio* deduci potest. Opera autem Dei adspectabilia *vera* sunt, *realia*, *subsistentia*. Id genus argumentis, fictis hypotesibus innixis, Recentiorum *Physica*, præsertim *Mechanica* scatet ubique; quamquam pulcherrima videantur, ac *geometricis* quoque *formulis* de industria expressa. Hujusmodi sunt in primis leges, sive regulæ omnes, quæ de *durorum*, atque *elasticorum* corporum collisione, ac subnascentibus inde motibus in universa *Dinamica* demonstrantur. Innituntur eæ enim *fictis hypothesibus* de *perfecta* corporum *duritie*, *perfectaque elasticitate*. Corpora quippe quum *perfecte dura*, tum *perfecte elastica* in mundo *reali*, ac *Dei* nusquam sunt (*a*). Hujusmodi sunt

(a) Nihil tam *elasticitati* adversum, quam *humiditas* præcipue, & *calor*; quamodmodum pluribus observationibus & experimentis exploratum. Hi autem ut per vices corpora pervadunt, ita eorum elasticitatem multifariam perturbare debent. Ut adeo *perfecte elastica* numquam esse illa sinant. Sed & *perfecte dura* oportet omnino esse *perfecte densa*, talia nimirum, ut omnia prorsus interspersa *spatiola vacua* excludant; ut patet. Quod ceteroquin ut *cartesianum*, & *fictum*, ita eximiis quibusque Philosophis merito rejectum, & improbatum.

sunt quoque innumeræ leges aliæ collationis duorum corporum *uniformiter*, sive *æquabiliter* motorum, quibus theoremata omnia adplicantur, quæ de *parallelogrammis* inter se collatis demonstrantur in *Mathesi*: item *accelerationis motus*, ac *retardationis*: tum *projectorum*, & *curvarum parabolicarum*: rerum id genus sexcentarum. Pendent namque hæc omnia *ex hypothesi* alia æque *ficta*, quod corpora moveantur *in medio non resistente*, scilicet *in vacuo*. Ast medium istuc *non resistens*, & *vacuum*, ut vocant, *magnum* sive *coacervatum*, in mundo *reali* ac *Dei* ubinam, quæso, est? Quinimmo etiamsi ullibi extaret; mota nihilominus in eo corpora semet continuo resisterent vi motrici impressæ; quemadmodum ob *inertiam* de facto resistunt, quum ea primum communicatur: ac ita ne *in vacuo* quidem haberetur motus *uniformis*, sive *æquabilis*; a quo ceteroquin motus regulæ illæ omnes, & *curvæ parabolicæ* omnino dependent.

§. XXX. Has igitur motus leges, quibus tantopere ludunt, otianturque Recentiores, velut *ideales* tantum ac possibiles tirones spectent; proindeque non *ad realem*, ac *Dei mundum*, sed ad *idealem* tantum, *possibilem*, ac *Philosophorum* pertinere sciant. Ac ne turpiter ipsi quoque otientur; prorsus abjiciant. At at retinendæ, inquiet forte aliquis, eæ saltem *leges*, sive *motus regulæ* tamquam præstantissimorum virorum inventa; & quia reales naturæ motus, sin minus ad amussim, quamproxime

xime saltem ad illas accedunt. Verum

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem,

ut a viris summis ea excipiamus tantummodo, quæ *vera*, quæ *realia*; ac naturæ motus ad eas præterea leges, quoad fieri potest, exigamus, quas corpora sequuntur reipsa, non quas sub fictis, planeque falsis *hypothesibus* sequerentur. Istuc *serio* philosophari est: illud aut ludere pueriliter, aut ineptire. Ac si in *Physica possibilium*, ut ego quidem adpello, & *hypothetica* otiari licet; eccur non æque otiari licebit in *possibilium* & *hypothetica Theologia?* Ita horum exemplo revocent etiam *Scotistæ* nostri consepultas diu quæstiones, in primis celeberrimam illam: *Si Adam non peccasset, utrum Dei Verbum humanam carnem adsumpsisset?* ... Sed pergamus.

§. XXXI. Secundum: *Nihil in natura esse sive permanentis, sive successivi sine causa*. Ex nihilo enim, idest sine causa, nihil fieri potest. Quamobrem si harum cognitio causarum in propriam, aut communem utilitatem referri potest, scrutari illas, ac detegere adnitantur. Sin secus, prætereant; atque animum, attentionemque ad utiliora convertant. Quod si forte ob futuram utilitatem scrutari illas statuerint; hac regula in earum investigatione ducantur: *Sub eisdem circumstantiis eædem causæ naturales* sive *necessariæ eosdem producunt effectus, similes producunt similes*. Siquidem his in casibus effectuum immutatio alioquin tribuenda

foret

foret nihilo: quod fieri nequit. Itaque visis, libratisque phænomenis, facillimum ea regula fuerit eorum causas pervestigare. Est eadem philosophandi regula a Newtono proposita; communique calculo a viris doctis comprobata.

§. XXXII. Tertium: *Nullam etsi minimulam corporum particulam in nihilum abire*. Corporum namque partes, utut exilissimæ, & inconspicuæ, quum substantiæ, entia nimirum subsistentia sint; ut naturæ viribus creari non possunt, ita nec eisdem annihilari. Utraque enim actio solius Dei, entis scilicet omnipotentis est, Metaphysicorum nemine diffitente. Quocirca actione causarum naturalium, finitaque vi pollentium dissolvi quidem, minutissime atteri, in fumum, auramque abire, ac multiplicibus variisque modis occultari eæ poterunt; haud tamen deperire prorsus, & in nihilum abire.

§. XXXIII. Quartum: *Promiscuam rerum commutationem quorumdam phanaticorum commentum esse a natura prorsus alienum*. Est hoc *Alchymistarum* deliramentum, in primis illorum, *qui lapidem*, nescio quem, *philosophicum* se habere jactitant, quo aliorum metallorum commixtione quadam *aurum* se efficere posse fabulantur. Aurum quippe, quemadmodum & plura id genus corpora alia, aer, ignis, aqua, mercurius, similia, *simplicia* corpora sunt, immutabilique natura, semperque eadem ac sibi simili a Deo condita. Qua de re legendus illustris auctor gallus eximii Operis italice redditi, cui titulus: *Spettacolo della natura*, edit. neap.

neap. an. 1742. Tom. VIII. Quamobrem ex horum *ſimplicium* commixtione varia fieri quidem *mixta*, atque *etherogenea* corpora poſſunt, fiuntque reipſa; ea tamen in ipſis *mixtis*, quamquam indiſcernibilia, eamdem ſemper naturam ſervant; atque ut fuere ſimul permixta, ita & arte *chymica* denuo ſejungi poſſunt, atque ad priſtinum ſtatum revocari.

§. XXXIV. Quintum: *Nihil caſu, nihil fruſtra, nihil præter leges generales in natura contingere*. Omnia enim veris ac miris modis, licet perſæpe humanæ imbecillitati imperviis & occultis, ad ſapientiſſimos fines a Deo ordinantur: idque ex præſcripto generalium legum naturæ mechanicarum; ut univerſum ſemper idem perſeveret, licet continuis viciſſitudinibus, in ſe tamen *periodice* redeuntibus, ſit obnoxium. Quo & ſpectat veraciſſimum illud: *Deus, & natura nihil fruſtra moliuntur*. Sane vel ſuſpicari tantum, ne dicam arbitrari, aliquid *caſu*, aut *fruſtra* in natura contingere, magnum eſt id ignorantiæ, & impietatis argumentum. In primis enim omnia in noſtram, aliorumqe utilitatem recta, aut per gradus quoſdam vertere poſſumus. Tum Deum O.M. operi ſuo præeſſe, illudque ſapientiſſime moderari, vel ipſis gentilium Philoſophis, nedum Metaphyſicis noſtris aperte demonſtratum.

§. XXXV. Sextum: *Nihil per ſaltum, nihil ſimultanee, ſed omnia ex lege continuitatis in mundo corporeo fieri*. Scilicet non momento eodem, neque per ſaltum, ſed ſucceſſive per-

lu-

ſtrantur a motis corporibus ſpatia, ſucceſſive augentur celeritates, ſucceſſive retardantur, ſucceſſive fiunt omnia, ſucceſſive deſtruuntur. Fiunt enim, ac deſtruuntur omnia *motu*. *Motu* autem corpora nec ſimul in diverſis locis eodem tempore eſſe poſſunt; nec ab uno in alium trasferri, quin loca omnia percurrant intermedia. Itaque *ſucceſſiva*, non *ſimultanea*, neque per *ſaltum* omnium naturæ phœnomenorum, & corporum ipſorum productio eſt, *ſucceſſiva* ſolutio; licet nunc tardius eæ fiant, nunc celerius, & momento quandoque eodem fieri videantur, ne excepta quidem ſoni, luminiſque ipſius in orbem propagatione, ac diffuſione.

§. XXXVI. Septimum: *Lege ſimplicitatis caute admodum utendum*. Vulgo creditum, omnia in natura fieri debere per viam, ut ajunt, ſimpliciorem ac breviorem. Adeo ut in commune adagium jam abierit illud: *Fruſtra fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora*. Minus tamen acute, minuſque cogitate. Multiplicitas enim mediorum ad finem, ſi ordo, ſi proportio, ſi nexus, ſi elegantia, ac pulcritudo ubique ſervetur, argumentum quandoque ſunt ſublimioris in artifice ſapientiæ, & ingenii amplioris. Plerumque etiam indicia ea ſunt divinæ erga nos bonitatis, ac beneficientiæ effuſioris. Ut quum paucis e. g. herbarum, olerumque, ac fructuum generibus alere nos, atque animalia Deus potuiſſet; innumera tamen eorum genera ac ſpecies nedum pro *neceſſitate* & *commodo*, ſed & pro *luxu* etiam, ac *voluptate* munificentiſſime

me paravit, & parat. Sæpissime tandem veluti monumenta spectanda erga multiplices hominum indigentias intensioris Dei curæ, ac providentiæ sollicitioris. Quo in casu plura media illa, licet in eumdem finem tendere omnia videantur; tot nihilominus tamque beneficos respiciunt fines alios, quot sunt media ipsa. Hinc quum pro nostra, brutorumque substentatione via longe breviori fructus parare potuisset; ut cœpas e. g., ut cucumes, ut cucurbitas reipsa parat; tamen magnis arboribus, tot radicibus, tot ramis, tot foliis, totque floribus pulcherrimo prorsus artificio refertis uti voluit, ut totidem simul media essent ad alios fines. Nam & lignis utimur in ignis pabula, ac in millenos alios artificiosos usus pro vita humana; & foliis quum æstivos calores temperamus, tum alemus pecudes: & floribus denique quum visum olfactumque oblectamus, tum mala plurima pro opportunitate fugamus: & ita porro. Nusquam igitur frustra fieri aliquid reputent tirones, quum illud per plura fortasse fieri observant, nisi *plurium* confluentium *mediorum* in eundem finem peculiares fines alii fuerint ipsis plane noti, atque comperti.

§. XXXVII. Octavum: *Caute etiam adhibenda systemata generaliora*. Auctores namque *systematici* postquam sua generalia systemata animo concepere, & construxere, amore erga illa nimio incalescunt, atque (ut olim superstitiosa gentilitas *fortunam*) phoenomenorum ea omnium fontem, & scaturi-

ginem

ginem similiter spectant. Hinc nihil est, quod *qualitates occultæ* non efficiant apud scholæ Philosophos. Nihil, quod non gignat *materia subtilis* apud Cartesianos. Nihil, quod non producat *attractio* apud Nevvtonianos. Atque nihil hisce nostris temporibus, quod *electricismo* non sit adscribendum apud Franklinianos. Interim quum veritas una sit, systemata vicissim nedum multiplicia, sed & secum ipsis valde pugnantia; facile hinc perspicere possumus, non esse illa *mundi realis* ac *subsistentis*, quemadmodum oporteret, *imagines* & *exemplaria*, sed *dehonestamenta* & *larvas*. Nec illud prætereundum, uno eodemque systemate plura inter se contraria phænomenorum genera explicare velle, perinde esse, ac si quis non incalescere solum, sed & frigescere etiam contenderet ad ignem; aut accensione tormenti bellici silentium simul inducere, & fragorem. Quæ aut ludrica, aut insana.

§. XXXVIII. Nonum: *Collisionis legem præ oculis semper habendam*. Est porro *lex collisionis*, qua corpora circumjacentia sese mutuo urgent, sistunt, retardant, comprimunt, ac sæpe etiam conterunt. Huic *collisioni* subjacent corpora omnia universi; quia inter se maxime nexa, & colligata, nec plane umquam quiescentia sunt. Ejus igitur ratio habenda semper in phænomenorum evolutione, præsertim ubi de nanciscenda cognitione agitur *mathematica* (Lib. I. §. 26.). Eadem *collisionis lex*, ut id etiam tironibus innuam, malorum quoque

scatebra est, quæ *physica* adpellantur; cujusmodi sunt morbi, dolores, sensationes quæque molestiores, & acerbiores, similia. Quamquam majora, & atrociora id genus mala sunt, quæ ab improborum hominum vi ac prævalentia ingeruntur ferro, igne, bello, similibus nequitiæ & improbitatis instrumentis, quam quibus subjicimur a natura. Ut ita *collisio civilis* multo magis noxia hominibus sit *collisione naturali*; atque quum ex *mutui auxilii* lege esse deberet *homo homini Deus*, misericors videlicet ac beneficus, factus sit *homo homini lupus*, exitialis nempe, & infensus! Adeo ne in ferinam naturam commigravimus? . . . . Sed quid miri, si nos ipsi infensiores nobis evasimus nova malorum pariter *physicorum* colluvie, quæ impudicitia, ebrietate, ingluvie, vigiliis, vitaque acta præpostere ac inordinate parta, & atrocius justo nos Dei judicio excruciant, & pertinaciora, ac diuturniora sunt? Quod tertium *collisionis* genus nisi *collisionem personalem* dixerimus, nescio, quo alio sit nomine adpellandum. Ut adeo mala omnia *physica*, quibus tantopere affligamur, ex triplici collisione oriantur, *naturali*, *civili*, *personali*.

§. XXXIX. Decimum: *Effectuum realium ac physicorum causas oportere esse reales ac physicas; nec plures, quam quæ eorum productioni explicandæ sufficiunt. Ideales* enim causæ effectus producunt sibi similes, nempe fictitios, mere possibiles, sæpe chimæricos. Præter eas autem, quæ effectui producendo sufficiunt, ceteræ su-

pervacaneæ ſunt, & ad arbitrium adſcitæ. Inculcat principium iſtud ſæpe Nevvtonus. Verentur autem viri docti, in primis Abbas Pluche, auctor laudati Operis (*Spectaculo della natura*), & P. Fortunatus a Brixia, ne *attractione* illa univerſali idem vir ſummus illud convellat .... Peccatum quoque adverſus idem ſcholæ Philoſophis *antipathia* illa, *ſympathia*, *horrore vacui*, *qualitatibus occultis* ....

§. XL. Undecimum: *Nullum eſſe in natura malum*, *niſi tantum relative*. Mala enim *phyſica*, de quibus heic ſermo, quæ cenſentur *abſoluta*, ſi ad *totum* referantur, nec ſpectentur *ex parte*, non proprie *mala* ſunt, ſed, ut cuncta Dei opera, *valde bona;* quia ad optimos ac ſapientiſſimos fines a Deo condita, & ordinata. Quinimmo ſi ſapienter iis uti ſcriverimus, ac voluerimus, erunt etiam & ſaluberrima, & utiliſſima, & proficua bona, ne *venenis* quidem exceptis, ex quibus tot remedia potentioribus fugandis morbis hodie a viris doctis parata cernuntur. Quamobrem cogitandum potius, qua arte ac magiſterio in communem utilitatem verti poſſint, quam velut *abſoluta mala* eadem horrere. Sunt enim *mala* iis, qui vel abutuntur, vel rectum eorum uſum ex beneficis finibus Creatoris ignorant. Quid quod quæ optima, ac ſalubria noſmet habemus, in exitialia venena degenerant, quum abutimur? Ita exquiſitiores cibi, ita liquores delicatiores, ita cetera.

§. XLI. Poſtremum: *In contemplatione divi-*

norum operum ad beneficam Creatoris manum oculum semper mentemque intendendam. Est id principiorum omnium, quibus *naturæ investigatio* regenda, præcipuum, & sine quo vana omnia, & contemptibilia. Siquidem bruti, ac stupidi pecoris est frui pascua, nec reminisci pastoris. Quin & animantia quædam vim beneficiorum sentiunt, adblandiunturque benefactori; quanto magis homo rationis particeps, cui *gratitudinis virtus* propria esse debet ac præcipua, tot tamque eximia Dei dona animo sensibusque versans, ad beneficam Creatoris manum intendere debet? Neque *ascetica* sunt ista, *virique ascetici*; sed hominis, sed Philosophi *pura rectaque ratione* utentis. In naturæ Codice tria omnino exarata reperio: *PARATA BONA: PARATA HOMINI: PARATA A DEO*. Priora duo nocturna nunc tam diligenti versabimus manu, versabimusque diurna; tum adversus tertium, ad cujus considerationem incommutabiles *pietatis*, *gratitudinis*, ac *justitiæ* leges nos vocant, in utramque altum dormiemus auriculam? Ah! . . . . (*a*)

CA-

(a) Rerum physicarum studiosis, naturæque contemplatoribus totus in ea gratitudine arga effusissimam Dei beneficentiam inculcanda est incomparabilis Ab. Pluche in eodem Opere mox laudato: *Spettacolo della natura*. Utinam tam immortale opus, tamque eximium ac præclarum *Physicæ* corpus, quo, nescio, an ullum aliud sit melius, elegantius, atque fovendo homini quum *animali* tum *morali* utilius ac salubrius, omnium manibus tereretur!

CAPUT V.

De observationum, & experimentorum natura, discrimine, ac generibus variis.

§. XLII. *Experientiam* esse externorum sensuum rebus sensibilibus adplicationem; tum cognitionem ex ea adplicatione partam *experimentalem*, adpellari, dictum supra (§. 3.). Verum sunt, qui *experientiæ* nomine *cognitionem* intelligunt, quæ comparatur *attentione ad res in sensus incurrentes*. Nec desunt, qui *cognitionem nullo docente per usum adquisitam* definiunt. Utrique autem minus recte. *Experientia* enim ab *experiri* est: *experiri* autem est externos sensus rebus pariter externis adplicare. Quare *experientia* non est nisi adplicatio ipsa; cognitio autem inde parta cognitio *experimentalis*, non & *experientia* ipsa adpellanda. Sed apage tricas, in sola temporis jactura de more constitutas, mihique tantopere odibiles, & invisas! . . . . .

§. XLIII. Res externæ, quibus sensus per experientiam adplicantur, vel adplicationi præexistunt; vel industria quadam ac labore, & artificio nostro producuntur. Priori in casu experientia *observatio* dicitur: in posteriore *experimentum*, ac *tentamen* adpellatur. Ac ea, quæ utroque in casu in sensus incurrunt, *phoe-*

nomena, ſive *adparentiæ* nuncupantur. Eſt itaque *obſervatio* nudum phoenomeni jam præexiſtentis ope ſenſuum examen. *Experimentum* vero artificioſa phænomeni productio, a ſubſequenti illius examine non disjuncta. Experimentum enim numquam eſſe debet a productorum phoenomenorum diligenti obſervatione ſejunctum.

§. XLIV. Obſervationes vel *nudæ* ſive *ſimplices* ſunt, vel *armatæ* ſive *compoſitæ*. Illæ nullo inſtrumentorum adminiculo; ac immediata ſenſuum adplicatione fiunt: hæ ſenſibus aliquo inſtrumento armatis. Quum enim multa in naturæ regno ſint, quæ vel ob enormem diſtantiam, vel ob ſtupendam exilitatem oculorum in primis aciem effugiunt; ſubjici proculdubio obſervationibus ea minime poſſunt, niſi ſenſus idoneis inſtrumentis muniantur, teleſcopio in primis, & microſcopio.

§. XLV. Ac teleſcopio quidem utimur in obſervationibus quum *aſtronomicis*, quarum objecta obſervabilia, corpora nempe cæleſtia, in immenſum a nobis diſſita ſunt; tum *terreſtribus*, ac *maritimis*, quotieſcumque ob longinquiorem diſtantiam obſervabilium corporum *notæ*, aut etiam corpora ipſa nudis oculis ſunt inconſpicua. Utimur vero microſcopiis quum *ſimplicibus*, tum *compoſitis*, una ſcilicet lente, vel pluribus inſtructis, in iis obſervandis rebus, quæ ob incredibilem exilitatem ſimplici oculorum acie detegi non poſſunt. Utriuſque inſtrumenti vis in eo ſita eſt, ut obſervabilium cor-

corporum imagines mirum in modum adaugeant, ac multo etiam viciniores observatoribus reddant. Quam multa, quamque utilia, atque jucunda in locupletissimo naturæ regno, *planetarum* in primis, & *animalium*, tum *insectilium*, atque *plantarum* id genus instrumentis detecta sunt, quæ prius erant prorsus ignota?

§. XLVI. Est & alia *observationum* divisio ratione objectorum, quæ iis subjiciuntur. Sunt enim observationes *astronomicæ*, *metheorologicæ*, *medicæ*, *chimicæ*, *opticæ*, similes. Item et *experimentorum*; licet non in omnibus, in quibus observationes fiunt, & experimenta quoque iniri possint. Observationes quippe ad immania etiam intervalla, ut *cælestes*, excurrunt; præsertim quum telescopia vel *galilæana* sunt, vel *astronomica*, quæ illis meliora putantur. At experimenta quousque manus, ac machinarum, quibus ineuntur, vires pertingunt, protendi possunt; ulterius non excurrunt.

§. XLVII. Item ratione modi, quo instituuntur, aliæ *vulgares* observationes sunt, aliæ *artificiosæ*. Vulgari observatione scimus, venerem e. g. planetam esse nimis præfulgentem, ac pulcherrimum, qui nunc vespere solem insequitur, nunc mane præcedit. Ast mirabiles illius phases lunaribus simillimas *artificiosa* observatione per telescopia, Galilæo duce, deteximus. Eadem & experimentorum divisio, nec dissimilis explicatio. Virgultum e. g. terræ commissum radices hinc inde protendere, ac sensim sensimque in arborem concrescere,

vul-

vulgare experimentum est agricolis familiarissimum. *Artificiosa* vicissim, ac sollertissimorum virorum propria, quæ fiunt ope machinæ pneumaticæ, electricæ, barometri, thermometri, similium.

§. XLVIII. Quum intimæ rerum essentiæ sint nobis ignotæ, nec facile per sensuum *experientiam* observabiles; hinc observationes, & experimenta eo dirigenda nobis sunt, ut *characteristicas* earum *notas*, *constantes* præcipue & *invariabiles* e tenebrarum caligine eruant, ac meridiana in luce reponant. His namque cognitis, una opera satis cognitæ erunt res ipsæ; licet intima earum essentia adhuc ignota. Diligenti observatione novi e. g. dati corporis pondus esse ceterorum sub eodem volumine maximum. Tum in admirandæ subtilitatis lamina, ac filamenta idem esse ductile. Ac tandem croceo, pulcherrimoque colore spectabile. *Notis* hujusmodi cognitis, eo ipso cognitum erit, tale corpus esse *aurum*, non quidvis aliud ab eo dissimile atque diversum; quamquam intima auri essentia in abdito delitescat.

§. XLIX. Neque hunc tantum in finem, ut corporum genera secernantur, *constantes* & *invariabiles* eorum *notæ* per observationes, & experimenta inquirendæ; sed ut veritates quoque *universales* earum ope detegamus. Scilicet quum experientia, in quam observationes & experimenta resolvuntur (§. 43.), fit rerum existentium, ideoque singularium, & individuarum (§. 342.); hinc veritatibus dumtaxat

xat singularibus pervestigandis, & adsequendis semet idonea erit. Ipsa autem *constantium*, ac *invariabilium notarum* inventione viam ea sternit ad *universalium* veritatum intelligentiam. Quia quum id genus *notæ* sint necessario cum re connexæ, ab eaque proinde inseparabiles; inesse quoque debent & rebus ceteris ejusdem speciei. Quare ubi per *experientiam* noverim, *ductilitatem* e. g. *constantem*, & *invariabilem* esse *notam auri*; statim intelligo, *omne aurum esse ductile*: quæ veritas est universalis. Sed ea de re Libro sequenti in Capite *de usu rationis in adsequendis veritatibus metaphysicis per analogiam*. Nam heic rem delibasse tantum sufficiat.

CAPUT VI.

De observationibus rite instituendis, earumque usu in detegendis veritatibus physicis.

§. L. HIS itaque præsidiis, de quibus Capitibus præcedentibus, muniti juvenes naturæ contemplatores, ac *physicarum veritatum* inquisitores, ditissimum naturæ regnum qua *observationibus*, quaque *experimentis* ultro rimandum, explorandumque ingredi poterunt. Ac de experimentis partite dicam Capite sequenti. Heic de observationibus tantum, ut & confusio omnis devitetur, & suus cuique limes

limes & honos servetur argumento.

§. LI. Quæ igitur rerum scrutinia, & investigationes *observationibus* fieri possunt, ea proculdubio ad quinque suprema generà, aut classes commode reducuntur. Nam vel 1. nudam earum existentiam spectant: vel 2. existendi modum: vel 3. notas, sive proprietates tam *constantes* quam *variabiles*: vel 4. earum causas: vel 5. demum, quodque præcipuum, & in quod cetera tendere debent, beneficos Creatoris *fines*, ac *usus* pro hominum vita quum *animali* tum *morali*. Evolvamus singula.

§. LII. Ac nudam *rerum existentiam* quod spectat, ea si adhibito per plures quoque sensus sufficienti, adcuratoque examine, nudorum sensuum aciem plane effugiant; in subsidium pro opportunitate vocanda instrumenta, telescopia scilicet, aut microscopia, quæ & affabre elaborata sint, & longo usu probata. Tum observationes iterandæ sæpissime, quo e tenebris in lucem, conspectumque devenjant. Quod si ne his quidem mediis eæ sensibiles atque conspicuæ reddantur; relinquendæ tunc paullulum in Democriti puteo, quousque per sollertiores alios naturæ indagatores novis, aut melioribus instrumentis munitos eruantur. Hugenii telescopium effugerant quatuor alii *satellites*, sive *lunulæ circumsaturnales*, qui anno 1655. non detexerat, nisi unam, quæ est ordine quarta: quas tamen postea, an. scilicet 1671. 1672., & 1684. meliori telescopio instructus detexit Cassinus. Lentis palustris semina multis retro

mi-

microscopiis fuerant impervia: quæ conspicua se tandem præbuerunt Vallisnerii microscopio. Scilicet Seneca illud in quæst. natural: *Rerum natura sacra sua non simul tradit . . . . Illius arcana non promiscue, nec omnibus patent. Reductu, & in interiori sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ post subibit, aspiciet.*

§. LIII. Quod vero spectat *productionis*, sive *existendi modum*, interest plurimum pervidere, ac nosse diligenter, an datum phoenomenon ad causam aliquam fortuitam referendum sit; an vero ad consuetum naturæ cursum pertineat. Nam ubi primum *fortuitus* productionis, existendique modus constiterit, erit is velut *exceptio* quædam & *aberratio regulæ*; cujus proinde nulla ratio habenda, ad quidpiam in eo genere probandum, vel refellendum. Equidem næ is plane ridiculus, qui omnes homines cœcos nasci contenderet, quod aliquis fortuitis de causis, & præter costantem ac ordinarium naturæ cursum cœcus oriatur. Ubi vero costiterit *productionis*, existendique modus *constans* plane & *invariabilis*; erit ea *regula fixa* & *immobilis*; ex qua proinde de ceteris universe argumentari licebit. Quo autem *fortuita* a *constantibus* phœnomenis diligens naturæ observator secernat, iteratis sub variis circumstantiis loci, temporis, statuum, observationibus, initaque diligenter earum comparatione & calculo facile dignoscet.

§. LIV. Præterea in perscrutandis rerum notis,

notis, maximè *intrinsecis*, & *invariabilibus*; ideſt *characteriſticis* verſanda pluries ex omni parte corpora ſunt; tum in varia tempora, ac ſtatus deducenda, atque cum aliis ſpecie ſimilibus diligenter comparanda. Quod cum ſit, ſedulo attenteque inſpiciendum, quas verſando, ſtatuſque varios, ac tempora permutando ea retineant, quas mutent, quaſque cum aliis conferendo ſimiles, atque communes habeant. Nam quæ in omni ſtatu, & tempore, ac ſub variis tentaminibus videntur ſemper eædem; & quæ omnibus ejuſdem ſpeciei corporibus communes obſervantur; eæ *conſtantes*, & *invariabiles* eorum notæ ſunt; ideoque *intrinſecæ*, & *characteriſticæ*, per quas ſcilicet ſunt id, quod ſunt, & a ceteris diſcriminantur. Quæ autem eadem diligentia adhibita, eiſdemque circumſtantiis permutatis, variari per vices, nunc ſcilicet ineſſe, nunc abeſſe a corporibus conſpiciuntur; in *notis variabilibus*, & *accidentalibus*, ſive *fortuitis* habendæ. Ita foſſilium, ita metallorum, ita plantarum, ita animalium, ita ceterorum denique corporum utriuſque generis *notæ* deteguntur, ac diſcriminantur.

§. LV. Rurſus in perveſtigandis phœnomenorum cauſis tria ob oculos maxime habenda ſunt: 1. virium quantitas effectui producendo neceſſaria: 2. rei cujusvis acceſſus, quum ille producitur: 3. nexus inter cauſam producentem & effectum productum. Ac primum quidem quod ſpectat, quum effectus ſua cauſa perfectior eſſe non poſſit; ſi datæ cauſæ vires effectui

ctui producendo impares esse videantur; ea effectus hujus causa esse non poterit. Quod si tales vires sufficientes inveniantur; non ideo statim ceu vera ejusdem causa agnoscenda, nisi & duo alia certo constent, quæ subsequuntur. Ita si e. g. in hac amoenissima *sylva* nostra *regia* magnum incendium de more sequutum fuerit; licet quævis scintilla ei excitando par esse potuerit ac sufficiens; non ideo hanc potius quam aliam illud excitasse decernere licebit.

§. LVI. Quod vero spectat secundum, causarum naturalium inquisitori diligenter inspiciendum, quidnam fortasse accesserit, quum effectus productus fuit, & ante cujus accessionem is minime producebatur. Nam eo cognito, una opera cognita erit & causa ipsa: veram scilicet illius causam rem omnino eamdem esse, ad cujus accessum effectus erupit. Hinc si flores in viridario flaccescant; tum injecta aqua, virentes statim reddantur; effectus hujus causam aquam ad eorum radices effusam esse ajo.

§. LVII. Quod denique tertium, attente pervestigandum, quanam cum re datus effectus nexum habeat. Quænam scilicet res illa sit, qua posita, is ponatur, quaque sublata, statim tollatur. Ubi post diligentem inquisitionem ea res in lucem prodierit, effectus ejusdem productio ipsi adscribenda erit. Scilicet quum inter lunæ deliquium, atque ejusdem in telluris umbram immersionem arctissimus adeo intersit nexus, ut ea immersione sequuta, luna statim

tim obtenebretur; colluſtretur ea denuo, ſtatim ac ex ea emerſerit; legitima illatione colligam, lunaris ecclypſis cauſam eſſe ejuſdem lunæ in umbram telluris immerſionem.

§. LVIII. Poſtrema inquiſitionis objecta mox (§. 51.) propoſita ſunt rerum *uſus*, ac benefici fines Creatoris, propter quos ea fuere nobis tam large parata. Horum inveſtigatio per *notas* ipſas ineunda. *Notæ* enim rerum ſunt propter earum *uſum*; uſus autem devolvitur *in finem*, qui in creatione ſpectatur. Jamvero quemadmodum rerum *notæ* perveſtigandæ ſint, dictum ſupra (§. 54.). *Notis* vero cognitis, tentando ſæpe, experiundo, meditando, *uſus* etiam ac Dei *fines* perſpecti fient. Nam his ex fontibus ea commoda ſenſim ſenſimque nata, quibus ſollertiſſimorum virorum opera perfruimur, & quæ tot tantiſque artibus quotidie nobis obveniunt. Ceterum diſtinguendi rerum *uſus* ab *abuſibus* prudenti rerum æſtimatori, viroque maxime honeſto omnino erunt. Legitimus rei uſus a Deo in ejus creatione ac largitione intentus, erit, qui prodeſt nobis, nemini nocet, *legeſque naturæ morales* intactas eſſe ſinit. In ceteris damnabilis erit abuſus. Ceterum quum rerum uſus hominum naturæ *animali* prodeſſe dignoſcitur; adnitendum præterea, ut proſit quoque *rationali*, ac *morali*; animum ſcilicet ad Dei amorem, gratitudinem, ac venerationem excitando, qui munificentiſſime ea nobis bona largiri dignatus eſt. Qua de re recolenda hic, quæ diximus ſupra (§. 41.).

§.

§. LIX. Illud autem in obſervationibus ineundis ſummo ſtudio cavendum, ne ea, quæ ad nos ſpectant, rebus externis tribuamus. Ex punctione acus doloris ſenſus in nobis excitatur; qui ad nos ſpectat, non ad acumen acus. Similiter differendum de ſenſationibus odoris, ſaporis, caloris, frigoris, colorum, luminis, ſoni, qualitatum, ut vocant, ceterarum. Horum ſcilicet ſenſationes ad mentem obſervatricem ſpectant, non ad res obſervabiles; niſi quatenus hæ viribus quibuſdam activis ciunt organa ſenſoria, atque impreſſiones quaſdam nunc placidas, nunc perturbatiores in eiſdem producunt, ex quibus totidem ſenſationes nunc gratæ, nunc moleſtæ in anima excitantur. Totus in his explicandis eſt illuſtris philoſophus Brixienſis in Differt. phyſico-theol. de *qualitatibus corporum ſenſibilibus*.

§. LX. Cavendum eſt etiam, ne in *vitium ſubreptionis* obſervando non minus, quam experiundo prolabamur; credendo ſcilicet obſervata ea, quæ nuſquam obſervata fuere, ſed aut illuſoria imaginatione concepta, aut ex obſervatis illegitima illatione deducta. Hujuſmodi ſunt, qui teleſcopiorum ope lunares incolas, ac microſcopiorum torrentes e magnete erumpentes ſe vidiſſe fabulantur. Oritur autem *ſubreptionis* vitium vel ex obſervatoris oſcitantia, vel ex præjudicatis opinionibus, vel ex imaginatione perturbata. Quæ cauſæ ut illudere illum facile poſſunt, adeo ut videre ſibi videatur, quæ nuſquam videt; ita diligenti

observatori opportune præcavenda.

§. LXI. Quod si demum post plures, adcuratasque observationes nondum aliquid detegere contigerit; non idcirco tamquam falsum putandum, quod observationi subjectum fuerat, nisi ex eo genere sit, quod in datis casibus, ac sub datis circumstantiis necessario in oculos incurrere deberet. Innumera quippe in natura sunt, quæ sensuum vel optimis instrumentis armatorum aciem effugiunt. Ex subsultu culicis totam tellurem contremiscere, ex perfectissimo ipsius æquilibrio facile deducitur. Interea nullus sensuum tremorem hunc animadvertit.

CAPUT VII.

De ineundis experimentis, rectoque machinarum usu ad physicas veritates in lucem eruendas.

§. LXII. MAchinæ sunt instrumenta quædam affabre constructa, artificioseque elaborata, quibus in experimentis capiendis utimur pro novorum phœnomenorum productione, & observatione. Hujusmodi est machina *boyleana*, *pneumatica* vulgo dicta, qua ex recipiente educto aere, tam mira phœnomena producuntur, quæ alias nusquam producerentur. Nam & fumum in recipientis fundo subsidere, & floccidam vesicam intumescere, & animalia gravissimis symtomatibus angi & agi-

agitari, & millena id genus alia non fine administratione ac stupore observamus.

§. LXIII. Machinæ aut *artificiosæ* sunt, aut *vulgares*. Ad posteriorem classem spectant utplurimum instrumenta artium quum *primitivarum*, ut venatio, piscatio, pascua, agricultura; tum *derivativarum*, ut ceteræ in immensum in tanto sæculi *luxu* auctæ hodie ac perpolitæ; quarum proinde constructio nec adeo plerumque difficilis, nec laboriosa. Quæ autem *artificiosæ*, ut *pneumatica*, ut *electrica*, ut similes, artificem expostulant & physicum, & mathematicum, aut saltem a physico ac mathematico bene instructum. Omnes ut rite & cum successu adhibeantur, usum requirunt, exercitationem, dexteritatem, maxime *artificiosæ*. Est enim experiundi ars quanto naturalibus disciplinis, artibusque augendis ac perficiendis, humanæque proinde societati fovendæ ac locupletandæ idonea; tantumdem contra periculi plena, ac novorum errorum, quibus valde obnoxia, scatebra & occasio; maxime si experimentator ab omnibus affectibus liber minime sit, atque præjudicatis opinionibus detineatur.

§. LXIV. Quum nota machinarum vis in partium ordine ac proportione, quibusdam ciendis motibus idonea, sita sit; curandum in primis, ut eæ sint adcuratissime elaboratæ, tersæ item, ac perpolitæ, atque a vitiis omnibus, si quæ irrepserint, diligenter emendatæ. Alioquin aut frustranei erunt labores omnes, aut subnascentia inde phænomena prorsus

ſus ambigua. Adeo ut anceps ſemper ac dubia res fuerit, num machinarum vitiis, an cauſis aliis ea tribuenda ſint. Exemplum habemus in Mariotto, qui, quum experimenta *optica* ſuper luminis radios ope priſmatis quamterſiſſimi ac elaboratiſſimi a Newtono capta iterare vellet, ac priſmate ſimul uteretur minus terſo, ac venulis, bulluliſque circumſperſo; iis de cauſis illuſus putavit, primitivos lucis colores non eſſe, quemadmodum Newtonus expertus fuerat, immutabiles, ſed in alios, atque alios dividi rurſus, ac reſolvi poſſe.

§. LXV. Deinde pervidendum diligenter, quinam ſit partium machinæ ſtatus, quinam corporis ad machinam applicandi, & quamnam proinde actionem in ſe invicem exerere poſſint: ne ſcilicet accidentia ſubinde orta cauſæ alteri cuicumque tribuantur. Sane ſi corpus e. g. ſit per machinam attollendum, non æque ponderare ac reniti videbitur, adhibitis funibus madidis, ac ſiccis. Nec idem quoque ejusdem pondus, ſi lanci frigidum, ac ſi candens imponatur. Ubi & illud curandum, ut machinæ, quoad fieri poteſt, ſimpliciores ſint, ac pauciſſimis partibus inſtructæ. Has enim natura, quæ per tot ambages ſuos effectus producere non ſolet, expoſtulat. Sane qui minimis producendis phænomenis ampliſſimo machinarum apparatu utuntur, perinde faciunt, ac vetuſtiſſimi Ægyptiorum reges illi, qui ut cellulam ſepulcralem ſibi pararent, qua eorum cineres reconderentur, tot hominum myriades,

tamque

tamque ingentibus pyramidibus construendis diutissime intentos detinebant.

§. LXVI. Rursus quamquam tanta sit machinarum perfectio, ut ab iis experimenta capienda haud vitiari possint; non ideo statim ad tentamina convolandum. Sunt enim experimenta plura, quæ etsi non deturbent machinæ, non experimentatoris dexteritas, non quidvis simile; deturbant nihilominus circumstantiæ aliæ multiplices externæ. Ita si experimentum ineundum sit super propagatione soni, seligenda dies tranquilla & placida. Ventorum namque impetus aut illam accelerabit plurimum, aut retardabit, prout amborum directiones vel conspirantes fuerint, vel oppositæ. Ac si vitari quandoque eæ mutationes a loci, temporis, aliisque adjunctis inductæ nullo modo possint; earum saltem ratio in experimentis habenda. Hinc quia vis magnetica e. g. fortior est hyeme quam æstate; alia quoque fiunt in magnis corporum massis, alia in parvis; ac pendula demum tardius sub æquatore oscillant, quam in locis ad polum sitis, & ita porro; habenda ob id harum circumstantiarum ratio est, atque adcurato calculo subducenda: quinimmo earum causæ tamquam novarum inquisitionum objecta spectandæ.

§. LXVII. Ad hæc quum, paratis omnibus, ad experimentum ventum fuerit, lentius, quoad fieri poterit, ac morosius procedendum. Tum notanda diligenter nedum phœnomena, quorum productio jam antea exspectabatur; sed & illa

etiam, quorum nulla prius suspicio oborta fuerat; ac fortuito veluti casu erumpere videntur. Nam hæc plerumque jucundiora nimis sunt, ac societati utiliora. Equidem eorum, quæ in hominum utilitatem hactenus inventa sunt, bona proculdubio pars fortuito quodam casu fuere detecta. Ea telescopiorum origo, ea pulveris pyrii, ea aliorum sexcentorum. Quamquam verear, ne pulveris pyrii inventio noxia potius & infesta humano generi dicenda sit, cujus stragem & exterminium tantopere minatur & infert, quam salutaris & commoda.

§. LXVIII. Præterea quum quorumdam phænomenorum variabilitas aut constantia per experimenta quæritur, juvabit plurimum ea iterare sæpissime nedum eadem, sed & aliis quoque machinis, loco pariter, tempore, aliisque adjunctis permutatis. Etenim quæ sub tot mutationibus semper eadem observantur, in firmis & constantibus naturæ phænomenis habenda: contra vero in fortuitis ac variabilibus, atque ex fortuitis ac variabilibus causis provenientibus accensenda, quæ continuo simul permutantur.

§. LXIX. Tandem eadem quoque methodo utendum, loco scilicet, tempore, ac machinis a prioribus diversis experimenta sæpius iteranda, quum phænomenorum causa quæritur, a qua producantur. Non raro enim accidit, ut quæ phœnomenorum primis experimentis subnascentium causa in suspicionem adducitur, multiplici eorum permutatione firmetur. Instar omnium

omnium exemplum ſit D. Paſchalis, qui quum tubos a Torricellio adhibitos varie permutaſſet, ac tentamina nunc in montibus, nunc in ima valle, nunc pluvio, nunc ſereno cælo iniiſſet; ſubducto mutationum omnium calculo, omnibuſque diligenter adnotatis, plena tandem certitudine & evidentia collegit, veram ac germanam ſuſpenſionis fluidorum cauſam in tubis Torricellianis eſſe *aeris pondus*, & *elaterium*.

§. LXX. Atque hæc, ſaltem præcipua, *experiundi præcepta* ſunt, quæ tironibus ad *phyſicarum* veritatum inquiſitionem contendentibus non erant in myſterio detinenda. *NAM EA ARS LOGICA*. Cetera minus fortaſſe præcipua ſeorſum ſubjicere nec vacat, nec eſt neceſſe. Experimenta etiam, quæ quacumque de cauſa a nobis iniri non poſſunt, a publicis Collegiis, & Academiis grato animo mutuanda eſſe, dictum ſuo loco (§. 19.).

§. LXXI. Monendi vero nunc juvenes *phyſicarum* veritatum inquiſitores, ut ſpectent illas tamquam ceterarum *metaphyſicarum*, & *hiſtoricarum* ſemina & elementa prima. Sunt generatim namque primæ, quæ mentem rerum omnium ignaram ſubeunt; quippe quæ ſenſuum miniſterio adquiſitæ; & ex quibus ceteræ *meditationis*, & *criticæ* uſu adcurato hauriuntur. Quo ſpectat vulgare proloquium: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſibus*.

§. LXXII. Sed & ſpectandæ eædem veritates

physicæ velut uberrimus fons & scaturigo aliarum quoque singularium, quarum *physicæ* Disciplinæ plenæ sunt, atque ex eisdem legitima illatione deducuntur. Nam ea veritatum naturæ, ut aliæ cum aliis amico fœdere, ac indissolubili nexu, instar catenæ plurium annulorum, connectantur; nec ullibi hiatum admittant, nisi interposito errore. Cujus ratio perspicua, quia antecedens veritas rationem sufficientem continet subsequentis. Ut si vi experimentorum cognito aeris pondere dicam: *Aer est gravis*: ex hac prima veritate colligere possum hanc aliam: *Ergo circumterrestria corpora præmit undequaque*. Tum hanc aliam: *Igitur quæ sunt leviora, sursum attollit, detinetque pensilia*: ac ita porro.

§. LXXIII. Ceterum in his consectariis ex *observationibus*, & *experimentis* deducendis caute admodum procedendum. Scilicet conferenda ea prius diligentissime, adcurateque inspiciendum, sint ne *vere* ac *realiter* ita invicem connexa, ut alterum necessario sequatur ex altero, utque alterius ratio sufficiens in altero contineatur; an præcedentis veritas subsistere possit, quamquam subsequens sit falsum? Nisi ea præcautio diligenter adhibeatur, facillimum fuerit in errorem progrediundo dilabi. Est hoc vitium oscitantium hominum, ac potissimum illorum, qui *præjudicatis opinionibus* turpiter detinentur. Nam *quæ amamus*, *facile credimus*, ajebat ille: quin & *fingimus*, *imaginamurque facillime*, addiderim & ego; atque, ut Ixion aman-

amantissimam Junonem suam, ubique videre illa nobis videmur.

CAPUT VIII.

De usu Mathesis in evolvendis naturæ phænomenis, per observationes & experimenta detectis.

§. LXXIV. IN explicandis naturæ phænomenis per observationes & experimenta detectis utilem esse *Mathesim*, discimus id in primis ipsiusmet Salomonis oraculo, quum *Deum fecisse omnia*, scribit, *in numero, pondere, & mensura*. Ex quibus clare intelligimus, ad evolvenda naturæ phænomena, præter *Staticam*, qua corporum pondera in machinis pervestigantur, adhiberi utiliter & commode posse *Arithmeticam*, numerorum scientiam, ac *Geometricam*, scientiam dimensionum. Atque *Arithmetica* quidem, ubi ad determinandos corporum motus, vires, celeritates, alia hujusmodi, opus est calculo numerali. *Geometria* vero, ubi eorumdem magnitudines, distantiæ, motuum directiones, id genus plura examini subjiciuntur.

§. LXXV. Sed non utilis tantum, verum & interdum necessaria Mathesis videtur, ut phœnomena quædam intelligantur, & explicentur. Sunt enim nonnulla obscura adeo & involuta,

ta, ut nisi facem Mathesis opportune suppeditet, frustra tentare illas, & evolvere præsumpseris. Id genus arcanis & involucris scatent *Physicæ* partes universæ, in primis *Statica*, *Hydrostatica*, *Balistica*, *Hydraulica*, *Optica* item, *Catoptrica*, *Dioptrica*, *Astronomia*, fere omnes reliquæ cum *Mechanica*, qua virium, temporisque compendio ingentia pondera movere, atque in altum attollere docemur.

§. LXXVI. Deinde cuinam bono ac usui Mathesis fuerit, nisi in physicarum studio Disciplinarum eam utiliter adhiberemus? Non me latet, *Mathesim puram* mirum in modum adolescentum ingenia acuere: judicium quoque firmare in veri a falso discrimine: ac habitum tandem conciliare paullatim ad cogitandum, ac differendum *ordinate*. Quæ equidem eximia bona sunt, ex quibus ceterarum quoque Disciplinarum adquisitio nimis facilior, ac promptior evadit. Verum præstare ista quoque possunt & *Logica*, & *Ontologia*, & Disciplinæ aliæ. Itaque & copulari cum *Physica* utiliter *Mathesis* potest, & jungi quinimmo cum eadem debet, ut peculiares ac proprias utilitates & commoda humanæ societati adferat. Quo spectat veracissimum Genuensis illud ad calcem Inst. Logicæ: *In sola pura*, & *contemplatrice* (Matheli) *immori*, *hominis videri potest parum humana curantis*. Nisi ut in Ordinibus monasticis, ita in Disciplinis alios *contemplativos* tantum, alios & simul *activos* dicere velimus. Quæ divisio si ibi laudabilis & sancta;

cta; heic contra damnabilis prorsus, ac devitanda.


§. LXXVII. Quamquam vero Mathesim conjungendam esse ajo cum Disciplinis physicis; idque & utile, & necessarium fore contendo; *modum* tamen, sine quo nihil rectum, nihil ordinatum, nihil laudabile umquam fuerit, exopto. Mathesis naturalium Disciplinarum fax est: ergo in tenebris adhibenda. Ne alioquin quum & ipsa satis per se difficilis ac sublimis scientia sit; ubi in perspicuis, ac per se notis adhibetur, involvantur ea potius, & obtenebrentur. Equidem ubi incedere via regia possumus, quid per ambages, incertosque cuniculos implicamur? Quid *ægyptiacis hjeroglyphicis*, & *characteribus* pene *arabicis* utimur, ubi lingua patria semet intelligibilis est, elegans, perspicua, disertissima? Quid interpretes naturæ agimus, ubi naturæ vox non eget interprete?

§. LXXVIII. Quæ quum ita sint, haud spernenda tot virorum doctorum judicia sunt, qui de eo Matheseos abusu tantopere conqueruntur. Experimento enim discimus, haud levia incommoda quum Physicæ, tum illius cultoribus, ac humanæ præterea societati ea de causa obvenire. Ac Physicæ quidem, quum tot *algebricis formulis* de industria quæsitis, ac geometricis demonstrationibus ubique luxuriando, otiandoque, *idealis* magna ex parte ea redditur, *hypothetica*, *possibilium*. Qua de re satis dictum supra (§. 29. seq.). Tironibus etiam is abusus maxime noxius est; quippe qui tot inextri-

tricabilium calculorum algebricorum frequentia non minus, quam difficultate perterriti, a Physicæ studio sæpissime avocantur. Quod quantum humanæ societati detrimenti adferat, nemo ignorat. Utamur ergo *algebricis formulis*, utamur *calculis*, ubi hi clariores phenomenis fuerint: abstineamus vero, ubi phœnomena sunt illis clariora. Ac siquam ea in re generalem adhibendi illas, omittendique *normam* figere, determinareque velimus (velle autem omnino debemus); sit ea solius *necessitatis, majorisque utilitatis*. In ceteris otia putanda, ac tenebrarum damnabilis lumini effusio. Sed *de arte inquirendi veritates physicas per sensuum experientiam*, deque integro Libro II. ista satis.



AR-



ARTIS
INQUIRENDÆ VERITATIS
LIBER III.

De arte inquirendi veritatis metaphyſicas per mentis rationem.

§. I. AB arte inquirendi veritates *phyſicas* per *ſenſuum experientiam*, de qua precedenti Libro II. ad artem devolvimur inquirendi veritates *metaphyſicas per mentis rationem*, de qua hoc Libro III. Ubi tirones noſtros ſub initium monitos opportune volumus, ut, quoniam de rebus paullo ſublimioribus & abſtractis heic agendum nobis erit, omnes ingenii conatus generoſius intendant ad eas nedum intelligendas & aſſequandas, ſed ad familiares quoque, quoad fieri poteſt, facillimaſque ſibi reddendas: rati inſuper, nobiliora ac præſtan-

ſtantiora, quæ inde obventura illis erunt bona, nullo umquam eſſe quolibet cum labore comparanda. Ad rem igitur.

CAPUT I.

De humana ratione, ejuſque præſtantia, ac muneribus variis.

§. II. Quidnam ſit *vis* mentis *intelligens*, quæ ejus variæ dotes, & quemadmodum ſatis idonea ad verum perveſtigandum & adſequendum, dictum Libro priore (§. 98. ſeq.): quæ heic recolenda. Sunt, qui eam vim *intellectum* adpellandam cenſent, quum in ſola rerum idearumque contemplatione verſatur: tum *rationem*, quum rerum ideas, ac inde ſubnaſcentia judicia, ac ratiocinia ſic multifariam inter ſe confert, ut ex iis, quæ cognita ſunt, alia nondum nota legitima illatione deducat. *Ratio* quippe perinde *ac vis calculatrix*, & *collatrix* eſt; quemadmodum ibidem adnotatum.

§. III. *Ratio* ſummum illud, & inextimabile donum eſt, quo per naturam & eſſentiam a *mulo & equo ſecernimur*, *in quibus non eſt intellectus*. Ratione nihil eſt in homine præſtantius: quippe qua homines ſumus totum id, quod ſumus. Eſt præfulgens ille *divini vultus radius ſuper nos obſignatus*, quo nedum noſtri, re-

rerumque extra nos positarum conscii sumus; sed ex earum quoque ordine, pulcritudine, & harmonia in Dei, entis summi, ac omnium parentis amantissimi intelligentiam elevamur. Præstare quidem sensibus quibusdam delicatioribus, & acutioribus nonnulla nos animalia possunt, juxta Martialis illud:

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

Verum ingenti ab illis sejungimur semper inextimabilis *rationis* divortio. Multiformi armorum genere munita illa quidem, & instructa esse possunt. Ast homo solo *rationis* præsidio, sagacitate, & calliditate ea omnia nedum eludere potest, eluditque reipsa; quin & in proprium famulatum & commodum edomando ea adducit, subjicitque; eorumque dominum, arbitrum, ac moderatorem se constituit.

§.IV. Neque hæ solum eximiæ humanæ *rationis* dotes, nobilitas, atque præstantia. Ipsi quippe Disciplinarum omnium ortus, progressus, incrementa, & omnia adscribenda. Per eam inventæ primum artes, tum excultæ paullatim, tandemsque perpolitæ. Ejus lumine latæ leges, extructæ civitates, inducta imperia, perpoliti mores. Est *ratio* amplissimus fons, ac perennis scatebra bonorum omnium, sive a natura inductorum, sive adscitorum arte, quibus bruta animantia defectu *rationis* destituuntur. Nam hæc quia solo *instinctu* ducuntur, nec prætergredi cogitando sensibilia possunt; ad eumdem agendi modum perpetuo determinantur ab ortu ad mortem

mortem usque. Ad quæ nimirum vix in lucem edita bruta eorum natura extimulat, ea semper agunt ad interitum; nec quidpiam permutare usquam norunt, nec nova sibi commoda parare.

§. V. Quum autem bonorum heic meminerimus vi *rationis* a natura nobis inductorum, horum præcipuum ipsa *arbitrii libertas* est, qua propria sponte, nec ulla compellente vi *interna* aut *externa*, agere possumus & omittere, hoc potius vel alio modo agere. Nam ea voluntatis ad agendum potius quam non agendum *libera determinatio* spectanda velut consectarium antecedentis *consultationis*, & *examinis* ipsius *rationis*; sit nimirum actio legi conformis, & ideo *moraliter bona*, proindeque facienda; an difformis, & *prava*, eaque de causa omittenda? Quæ adeo vera sunt, ut actiones omnes, quæ hanc *rationis consultationem* antevertunt, motibus *pure machinariis*, & extemporanee erumpentibus merito accenseantur; nec ulli imputationi propterea subsint sive ad præmia, sive ad pœnam. Qua de re Ethici.

§. VI. Jam dividunt *rationem* in *rectam* sive *puram*, & *erroneam* sive *depravatam*. *Recta* sive *pura* est, quum inter ratiocinandum & veris indubiisque utitur *principiis*; & rectam, adcuratamque horum adhibet *adplicationem*; ac legitima tandem inde deducit *consectaria*. Est autem *erronea* sive *depravata*, si aut *principia* fuerint falsa, aut non recta *adplicatio*, aut præposteræ nec legitimæ *illationes*. Ad *rectam* spectat exemplum istuc: *Enti*

summo

summa summa debetur religio (quod est principium). *Deus est ens summum* (quæ est adplicatio) . *Deo igitur summa religio debetur* (quæ conclusio) . Ad *erroneam* vi principii falsi hoc aliud : *Qui majori vi pollet*, *majus habet jus*. *Divites pollent vi majori*. *Majus ergo jus habent*. Item & hoc aliud ob pravam adplicationem : *Natura inæqualibus inæqualia competunt jura naturæ*. *Sunt autem homines natura inæquales*. *Hominibus igitur inæqualia naturæ jura competunt*. Tandem & hoc aliud propter illegitimam conclusionem : *Nimia disciplinarum studia valetudini obsunt*. *Abjicienda igitur studia disciplinarum*, *ne valetudini noceant*. Legitima quippe illatio est hæc alia . *Moderanda igitur studia*, *modusque illis imponendus*, *ne valetudini noceant*.

§. VII. Quum *recta ratio* in homine dominatur, cuncta illi prospere contingunt, recte, ordinate. Nam sive de rebus judicia profert ; & errorum dehonestamenta cautus devitat. Sive agere quidquam, aut omittere decernit ; & actiones omnes, aut omissiones ad *justitiæ*, *pietatis*, ac *sobrietatis* præscriptum perpetuo componit. Contra si ea fuerit *depravata* . Nihil erit in judiciis veri , nihil in actionibus , & omissionibus boni , & honesti . Judicia namque ferimus , itemque agimus , ac omittimus , quemadmodum cogitamus : ideoque recte , honesteque , si *ratio*, *recta* ; turpiter contra ac præpostere , si *depravata* . Hinc intelligent tirones , quantum necesse sit disciplinarum stu-

 diis

diis *rationem* colere, augere, perpolire, perficere, ut & recta de rebus judicia feramus; & mores, vivendique normam ad *pietatis*, ac *justitiæ* leges componamus. Præcipue vero vitanda nimia in judicando proclivitas, sive *mentis præcipitatio*; tum *partium studium* refrænandum; ac compescendi denique *affectus*; ne immoderato, uti fit, æstu tetra eam caligine obnubilent. Quibus ex fontibus, impurisque lacunis major errorum, vitiorumque pars oboritur (Lib. I. §. 31. 37. 38.), ac ratio ipsa plusquam alias depravatur.

§. VIII. Quemadmodum in inquisitione veritatum *physicarum* externos sensus nunc nudos adhibemus, nunc armatos: nunc observando illis utimur, nunc experiundo; nunc demum uno, nunc alio modo rebus sensibilibus aptamus: de quibus late superiori Libro II. ita & multiplex est *rationis* artificium in investigatione veritatum *metaphysicarum* & *abstractarum*. Et quemadmodum multiplex ille sensuum usus eo tandem spectat, ut *physicas* veritates nobis ob oculos ponat; ita & de multiplici rationis artificio disserendum quoad *metaphysicas*. Horum præcipua sunt, *ratiocinia pura*, tum *analytica*, inde *synthetica*, postac *analogica*, *antylogica*, & ita porro: de quibus mox seorsum, & ex instituto. Omnium autem vis & efficacia in eo sita est, ut ex *veris principiis*, & *adplicatione recta*, *legitima consectaria*, tamquam effectus a sua causa deducantur. Quæ munia sunt *rationis* rectæ (§. 6.); quippe

quippe quæ ſola vero quum perquirendo, tum adſequendo idonea eſt. Nam *erronea* ac depravata cuncta perturbat, errorum ſordibus intellectum deformando, ac depravando voluntatem fœditate vitiorum.

§. IX. Humana igitur *ratio*, eaque *pura* ac *recta*, par redditur *metaphyſicis* veritatibus perveſtigandis, & adſequendis multiplici ratiociniorum uſu, eoque intelligibili & abſtracto. Quum autem prima, ac remotiora ratiociniorum ſemina ſint *ideæ*, tum velut proximiora membra *enunciationes* ſive *judicia*, quæ ex ideis componuntur; hinc ordo poſtulat, ut de ideis primum, inde de judiciis ſermo inſtituatur, priuſquam de ratiocinorum conſtructione, uſuque vario diſſeramus. Id autem triplici capite expedire curabimus, quæ velut totidem *excurſus* ſpectanda; *neceſſarii* tamen, & qui præteriri nullatenus poterant ad eorumdem ratiociniorum naturam, internamque conſtitutionem evolvendam & explanandam. Quare ſit.

CAPUT II.

De ideis, primordialibus ratiociniorum elementis, earumque objectis, ac ſignis.

§. X. Sunt *ideæ* reſpectu diſciplinarum, quod perſonæ reſpectu civitatum. Nam ut ex perſonis fiunt familiæ, & ex familiis communi

muni jure, legibus, ac imperio utentibus civitates oriuntur; ita ex ideis efformantur judicia, ex judiciis ratiocinia, atque ex ratiociniis longa ſerie, aptoque ordine inter ſe diſpoſitis ſcientiæ componuntur. Adeo ut quemadmodum perſonæ ſpectari commode poſſunt tamquam rerump. ſemina, & elementa prima; ita & ideæ velut prima elementa, ac ſemina diſciplinarum. Itaque de ideis heic differentes primum earum naturam, tum genera varia, uſus, objecta, ac denique ſigna evolvenda proponimus.

§. XI. Nuda rei contemplatio ſine ulla adfirmatione, & negatione, *ſimplex* rei *perceptio* adpellatur in ſcholis. Si primos infantilis ætatis dies fortaſſe excipias, vix crediderim, ullam eſſe *ſimplicem perceptionem*. Adeo nempe ad judicia ferenda vera aut falſa, bona aut prava, univerſalia aut peculiaria, abſoluta aut hypothetica, diſtincta aut confuſa, & ita porro, quum quidpiam nobis obverſatur, ab ingenio pertrahimur atque natura. Interim varias ea ſortitur adpellationes pro objectorum, ac circumſtantiarum varietate. Hinc dicitur 1. *ſenſatio*, ſi ejus objectum corporeum fuerit, ac ſenſibus externis præſens: 2. vocatur *imaginatio*, ſi aut corporeum fuerit quidem, ſed abſens; aut incorporeum, verum ſub corporea imagine conceptum: 3. *intellectio*, ſive *intelligentia*, quum & incorporeum erit illud, & ſub incorporea imagine cognitum: 4. *Conſcientia*, ſive *reflexio*, quum alia interna fuerit mentis actio, aut ejuſdem paſſio: 5. demum *reminiſcentia* nuncupatur, quum

quum ejus objectum res fuerit antea visa, modoque recognita. De *intellectione pura* dubitaverim quoque, ulla ne in nobis sit in hoc conjunctionis statu. Propterea quod vis imaginatrix serpere adeo soleat per omnes animi actiones, ut vel ipsas simplices & incorporeas substantias sistere nobis soleat tamquam corporeas, & sub imaginibus corporeis. Ut adeo in ferendis de iis judiciis caute admodum sit procedendum; ac spectanda solum *ratio recta* ac *pura*, non *phantasia* sive *imaginatio*. Alioquin corporeos, humanisque membris instructos putabimus e. g. Deum, Angelos, mentesque humanas turpi phanatismo.

§. XII. Quod menti percipienti sit præsens, *idea* dicitur, quasi rei *effigies*, *simulacrum*, *imago*. Nam non res ipsas extra nos positas, sed earum imagines a mente percipi, ostendunt observationes *opticæ*, in primis lentium polyedricarum, quibus unum idemque objectum multiplicatum videmus pro numero facierum. Ceterum somnia, specula, plura id genus alia tironibus exemplo esse possunt ad idearum naturam clare intelligendam, & a rebus ipsis, quarum sunt imagines, secernendam.

§. XIII. De idearum generibus post Arnaldum copiosissime egere primi etiam subsellii Scriptores logici, ut olim de *terminis*, quibus illæ substitutæ, scholæ Philosophi. Displicet autem summopere, quod ii, qui *modum* ubique inculcant, *modi* nihilominus tam facile obliviscantur, atque in extrema, in quibus defectus ac vi-

tia cubant, oſcitanter excurrant. Nos itaque juvenibus evolvendas tantum ducimus, 1. ideas veras ac falſas: 2. claras & obſcuras: 3. ſingulares & univerſales: 4. abſolutas ac relativas; 5. abſtractas & concretas: 6. demum ſimplices, compoſitas, & adſociatas; tamquam ſcitu utiliores, atque ad judiciorum, ac ratiociniorum doctrinam facilius adſequendam idoneas.

§. XIV. Ideam eſſe *veram*, quæ objecto ſuo conformis eſt; contra *falſam*, quæ eidem difformis, dictum Libro priore (§. 15.); ubi ideas *falſas* tot falſorum eſſe judiciorum cauſas, licet *occaſionales*, pariter & adnotatum (§. 19.). Quare heic dumtaxat addendum, ut ſummo ſtudio curent tirones *falſas* rerum ideas prorſus abjicere, adoptareque *veras*: ac illas, de quarum cum objectis uniformitate non ſatis conſtat, diligenti examini ſubmittere; nec adhibere umquam illas in judiciis ferendis, quouſque ea uniformitas dubia fuerit, aut non ſatis cognita & explorata. Ea ſalubris errores quoslibet, ex *falſis ideis* promanantes, devitandi ars; iſtuc medium par ad id ubique, & ideoneum.

§. XV. *Clara* mihi eſt idea, quæ rem a ceteris ſecernit: ut idea lunæ. *Obſcura* viciſſim, quæ minime ſecernit ab aliis; ut apud imperitum vulgus idea ſaturni, cui a ceteris ſyderibus ſecernendo impar eſt & inſufficiens. Cur autem rem, cujus eſt idea, *clara* ſecernit, non ſecernit *obſcura*? Scilicet totum id ex *notis* rerum *characteriſticis* repetendum. Nam & nu-

numero, & qualitate tot rei *notas characteristicas* idea *clara* menti exhibet, quot illi a ceteris secernendæ sufficiunt. Eas autem non exhibet *obscura*. Ex quibus intelligimus, claritatem idearum suos habere gradus pro numero *notarum*, quæ rebus insunt, aut inesse possunt. Adeo ut si quæ idea nedum *notas* omnes, sed & *notas* quoque *notarum*, quæ rei insunt, menti repræsentaverit, ea erit *clarissima*, *evidentissima*. Si hanc ideam alicui *adæquatam*, *comprehensivam*, aut etiam *distinctam* adpellare placuerit, non repugnabo. Sed erit ea vocabulorum diversitas, non idearum. Interim quum ideæ *claræ* semper *veræ* sint, ac velut verorum judiciorum, & ratiociniorum semina; hinc summo studio tironibus enitendum, ut *claris* rerum ideis mentem imbuant, ac in dies continuoque adaugeant. Quod fit in primis res seorsum, ac diligenter examinando: tum vitando *precipitationem mentis*: inde cum aliis perspicue cognitis illas conferendo: ac tandem viros doctos adsidue colendo, atque consulendo, eorumque Opera seria meditatione perlustrando. Hæc siquidem idonea, maximeque aptata ideas *claras* adsequendi media.

§. XVI. Rursus *singularis* idea dicitur, quæ rem unam; *universalis*, quæ plures simul repræsentat. Prioris generis est idea solis: posterioris idea trianguli; quæ triangulis omnibus repræsentandis idonea est. Quum autem res omnes existentes singulares sint & individuæ; quinam erit *universalium* idearum ortus, &

 origo?

origo ? Nempe repræſentatio *notarum ſimilium*, quæ rebus inſunt, quas ſimul repræſentant. Hinc *univerſalem* diximus ideam trianguli; quia tres angulos, totidemque latera generatim menti exhibet, quibus in *notis* triangula omnia ſunt ſimilia. *Univerſalium* idearum uſus haud exiguus eſt in ratiociniis, quæ ſine univerſalibus judiciis, & ideo ſine ideis univerſalibus conſtare non poſſunt. Quo autem artificio ex rebus ſingularibus ideæ eruantur univerſales, dicam inferius in Capite de *Analogia*.

§. XVII. Ad hæc quæ idea ſe ſola concipitur, *abſoluta*; quæ autem concipi nequit, niſi ex relatione ad aliam, *relativa* adpellatur. *Abſoluta* eſt idea circuli: *relativa* idea cauſæ, quæ ad effectum refertur. Porro magna idearum pars *relativa* eſt: ut adeo priuſquam de iis judicia ferantur, ſpectanda ſint & loca, & tempora, & ſtatus, & temperamenta, & mores, & ſexcenta hujuſmodi. Hinc quum Eraſmus, ut ut mordaciſſimus, *ſanctum* fere adpellat Socratem verbis illis: *Parum abeſt, ut dicam: ſancte Socrates ora pro me*; accipienda ea laus ratione habita ad alios gentiles, non ad chriſtianos. Nam & mulieroſum illum fuiſſe ſcimus; & galli oblatione illa Æſculapio facta idololatram, ac ſuperſtitioſum.

§. XVIII. Præterea *abſtractas* dicimus ideas, quæ *notas* tantum velut a ſuis ſubjectis avulſas exhibent; ut idea probitatis: *concretas* viciſſim, quæ *notas* una cum ſuis ſubjectis repræſentant; ut idea viri probi. *Abſtractarum idea-*

rum

rum immensus pene usus in scientiis universis, ac in ipsamet vita civili. Quum enim ob intellectus imbecillitatem plura simul cogitare nequeamus; præstat *abstractione* uti, sejungere ea nimirum a se mutuo, ac seorsum, prout ordo postulat, pertractare. Equidem verbosi, ac scioli, itemque molesti hominis est, plura simul ac diversa conglobare: tum saltitare huc illucque: ac tandem involuta omnia, & indigesta relinquere. Spectandus igitur *abstractionis* usus velut salutare remedium adversus confusionem, & obscuritatem.

§. XIX. Tandem sunt ideæ *simplices*, quæ in alias resolvi nequeunt; ut ideæ primitivorum colorum: *compositæ*, quæ in alias possunt resolvi; ut ideæ arborum, ramos, flores, folia, fructus complectentium. *Adsociatæ*, quæ quum simul a nobis cognitæ fuerint, simul etiam *attractione* quadam excitantur: ut quum aliquem dato in loco, datisque in circumstantiis vidissemus; ubi illum denuo conspicimus, loci ejusdem, earumdemque circumstantiarum ideæ simul recurrunt, simulque excitantur. Porro ideæ *simplices* ob plurium *notarum* carentiam evolvi nulla ratione possunt. Contra *adsociatæ*, atque *compositæ*. Illud etiam *adsociatæ* ideæ habent commodi, ut memoriæ imbecillitatem mirifice adjuvent, quum earum ope rerum alias cognitarum reminisci volumus. Quare satagant tirones, ut ea potissimum, quorum prompta recordatio urget, plurium circumstantiarum ideis adsocient. Ita namque alte-

alterutra quavis earum excitata, & ceteræ attractione quadam facillime excitantur.

§. XX. Hæc de *ideis*. Addamus nunc aliqua de earum *objectis*. Idearum objecta res ipsæ sunt, quæ per ideas repræsentantur. Sunt eæ vero generatim vel *substantiæ*, vel substantiarum *notæ*. Substantiæ sunt entia per se existentia, sive *notarum* omnium veluti fulcra, atque subjecta prima. *Notæ* sunt proprietates, quæ substantiis insunt tamquam subjectis, sine quibus existere non possunt; quæque illas, ut hæ potius, quam res aliæ sint, determinant, atque secernunt. In corporibus elementa prima, ex quorum simultanea conjunctione ea coalescunt, *substantiæ* sunt. Tum soliditas e. g. extensio, gravitas, inertia, proprietates ceteræ, *notæ* adpellantur.

§. XXI. Sunt autem *notæ* vel *substantiales* & *intrinsecæ*, vel *extrinsecæ* ac *modales*. Illæ ad substantiarum naturam spectant; ut soliditas, extensio, similes: hæ ad existentiam; ut figuræ, situs, motus, relationes, aliæ. *Substantiales* & *intrinsecæ* in *constantes*, ac *variabiles* iterum dividuntur: quarum priores a substantiis inseparabiles sunt; ut eadem extensio, ac soliditas in corporibus; posteriores vero continuo permutantur; ut colores, sapores, odores, qualitates innumeræ. Sed & *constantes* alteri etiam divisioni subsunt, in *communes* sive *genericas*, & *peculiares* sive *specificas*. Priores sunt, in quibus res diversarum specierum simul conveniunt; ut *figuræ* nota in triangulis, quadrilateris,

lateris, circulis, polygonis. Posteriores, per quas diversarum specierum res discriminantur; ut *sphæricitas*, per quam circuli discriminantur a figuris ceteris specie diversis. Hæ vocabulo satis idoneo dicuntur etiam *notæ characteristicæ*, in quibus rerum *indicia*, *verique criteria* sita ostendimus Libro priore (§. 118. seqq.).

§. XXII. Quum plures *notarum* divisiones attulerimus, est ne aliqua & *substantiarum*? Est proculdubio. Ac in primis dividi substantiæ possunt *infinitas* & *infinitam*: quarum illæ sunt creaturæ omnes ex nihilo conditæ, ac limitibus circumscriptæ: hæc solus Deus; scilicet *ens summum*, *ens magnum*, atque uti Tertulliano emphatice de more dictum, *summum magnum*; cui & infinitæ perfectiones insunt, & unaquæque earum est pariter infinita; ideoque *ens*, quemadmodum Metaphysici loquuntur, quum *extensive*, tum *intensive* infinitum. Deinde *finitæ* substantiæ dividi quoque possunt in innumerabiles species alias juxta numerum, & qualitatem *notarum characteristicarum*, a quibus & constitui illæ intrinsecus, & ab aliis discriminari possunt. Nam ea substantiarum *finitarum* divisio, ut aliæ *spirituales* sint, aliæ *corporeæ*, precaria omnino est, nec ulli innixa rationi. Mihi enim contra, planeque persuasum est, Deum omnipotentia, ac omniscientia sua infinita substantiarum genera creare posse, quæ numero ac varietate *notarum characteristicarum* quoad naturam & essentiam sint inter se

ſe diverſa. Hinc nec veraces, nec ea in re ſatis acuti mihi videntur, qui brutorum animas aut corporeas eſſe debere contendunt, aut ita ſpirituales, ut mentibus humanis ſint omnino ſimiles. Quaſi quod eæ a vi ſentiendi, ac ſponte agendi, cum memoria, & affectibus determinatæ, non aliud ſubſtantiæ genus conſtituant a corporibus, mentibuſque humanis natura & eſſentia diſtinctum, atque diverſum! Sed in quæ errorum portenta ruere nos non cogit præjudicata ſemel opinio, ac diligentioris rerum examinis neglectus, meditationiſque profundioris, ac pacatioris! . . .

§. XXIII. Quum ſubſtantiæ ipſæ per ſeſe nobis inconſpicuæ ſint, quia interna *notarum fulcra* prima (§. 20.); unica earum naturam ſcrutandi via erit illa *notarum*, per quas determinantur. Ita ex *cogitandi*, ac *libere agendi* vi mentes humanas incorporeas eſſe novimus. Ex pondere, colore, ductilitate, aurum. Ex ramis, foliis, floribuſque, ac fructibus arbores: & ita porro. Ut adeo intelligant tirones, quantum præſtet in *notarum* ſtudio ſedulo, ſerioque verſari. Ne autem ea ſubſtantiarum, notarumque cognitio vana ſit, & ſcrutandi labor inutilis; earum *uſus* pro hominum utilitate & commodo diligenter inveſtigandi. Nam quod ſæpe dictum, ac millies pro opportunitate repetendum, Philoſophum ſic animo ſemper conſtitutum volo, ut oculorum alterum in ſcientiarum ſtudia, alterum in ſocietatis emolumenta fixum, intentumque detineat. Id enim *philoſo-*

losophari est, cetera *in arundine longa equitare.*

§. XXIV. Hæc alia de idearum *objectis*. Superest, ut pauca de earum *signis* subjiciamus. Longa enim ea de re commentatio Rethorum potius, atque Grammaticorum est, quam Philosophorum. Sunt igitur *idearum signa* ipsamet vocabula, quibus eas invicem communicamus. Ac *signa* quidem non a natura tributa, sed ex hominum arbitrio, pactisque conventis inducta. Hinc tot idiomatum genera, quot nationes variæ per orbem longe lateque diffusæ. Utinam vero, fugatis nationibus barbaris, adlaboratum per universam Italiam ab Academiis fuisset in pristino, puroque *latino idiomate* restituendo! Quale nunc ipsius decus foret! quale præstantissimum ornamentum! ut scilicet europeæ nationes omnes, sicut olim legibus & imperio ita nunc in Disciplinarum studiis latinæ linguæ usu essent Itali, italiceque saperent! Et quia ad id tunc minime fortasse cogitatum, curæque omnes in nova inducenda, ac perpolienda itala lingua impensæ: utinam nunc saltem Italorum curæ in id essent intentæ, ut in scholis sua domicilia immobiliter retineret, ac iis præsertim in disciplinis, quæ magnis ingeniis, præcipue theologicis reservatæ videntur! Nam dilacerari nimium mihi ad præcordia sentio, dum ut gallicum illi idioma substituatur, prorsus exulandam proclamant. Sed quæ comparatio lucis ad tenebras? quæ paleæ ad triticum? plumbique ad aurum? Quæ exemplaris, inquam, spurii, maxi-

meque

neque corrupti ad authographum genuinum, & incorruptum? . . . Vide ea de re dicta Libro priore (§. 57. *not.*).

§. XXV. In vocabulorum usum duo tironibus adnotanda. Primum, quemadmodum ex Scriptorum mente interpretari illa oporteat, quum in eorum libris paullo obscuriora, ac perplexiora occurrunt; ne tales illis opiniones affigant, quales numquam fortasse somniaverunt. Alterum, quomodo eisdem vocibus utendum sit, quum animi nostri sensa aliis communicamus. Quorum illud in loca rejicimus opportuniora, ubi de *arte ermeneutica*. Hoc vero quod spectat, germanus rectusque erit vocabulorum usus, si 1. sensu in ea disciplina ab omnibus recepto adhibeatur. Si 2. non immutentur pro arbitrio novandique prurigine, sed sola urgente necessitate. Si 3. substituantur pro opportunitate clariora, & elegantiora. Si 4. obscura fortassis, aut ambigua adhibendo, per adcuratas definitiones fuerint ea prius enucleata. Si 5. in dicendo brevitas simul, concimnitas, atque energia servetur, sine qua cum auditorum, lectorumque tædio, ac veritatis ipsius detrimento omnia languescunt. Hæc in vocabulorum usu non omittenda, si quidem intelligi, ac prodesse aliis volumus. Velle autem debemus; alioquin *si patere animi sensa* loquendo, aut scribendo *nolumus*; præterquamquod turpiter otiamur; *tacere* melius, quemadmodum lepidus Poeta ille ajebat, prudentiusque *possimus*. Sed de *ideis*, *idearumque objectis*, ac *signis* ista satis.

CA-

CAPUT III.

De Judiciis, proximioribus ratiociniorum membris.

§. XXVI. DE judiciis, proximioribus ratiociniorum membris, hæc tirones latere non debent; 1. eorum natura, 2. genera, 3. usus, 4. objecta, 5. demum ea ferendi præcautiones: de quorum duobus postremis quum alibi dictum, ac præcipue Libro I. cap. 4. & 12. nihil heic addendum superest.

§. XXVII. Judiciorum natura in conjunctione sita est duarum idearum, vel a se invicem disjunctione; quorum primum *adfirmativa*, alterum *judicia constituit negativa*. Ut: *rei sunt plectendi*: *innocentes non sunt puniendi*. Hinc non satis placet, quod hodie traditur a quibusdam Logicis, *judicium nempe esse duarum idearum comparationem*. *Collatio* enim præcedere quidem debet, ne copulemus ideas alioquin sejungendas, aut ne copulandas sejungamus. Verum non est ea judicium ipsum: quod tunc fit, quum conjunctio per adfirmationem, ac disjunctio per negationem in ideis invicem *comparatis* subsequitur. Frustra etiam præciperemus, in rebus dubiis & obscuris suspendenda esse judicia, quoties post maturum examen, idest post *adcuratam comparationem*, nondum

enunciationem esse falsam : *Mens humana est substantia corporea ;* quia ejus *vis agendi libere* pugnat cum *vi inertiæ* corporum ; ac una eademque res constare nequit ex iis , quæ sese mutuo destruunt. Tutissima ea est , inquam, vera a falsis judiciis secernendi methodus. Verum multa sæpe ad id opus est *experientia* , *meditatione* , *critica* . . . .

§. XXX. Si nunc duo invicem judicia conferamus, vel *æquipollentia* erunt illa , vel *opposita* . Ac si opposita , vel ita inter se pugnantia , ut omne medium excludant , vel aliquod admittant . Prior oppositio dicitur *contradictoria* : ut *virtus est laudabilis : virtus non est laudabilis* . Posterior *contraria* : ut *figura est trilatera : figura est quadrilatera* . Nam etsi utrumque simul esse nequeat ; potest nihilominus esse aliud ab utroque diversum , puta *sphærica* , *ellyptica* , *pentagona*, *exagona* . Sed cuinam *usui* ista ? Nempe ut noscant primo tirones , in propositionibus *contradictoriis* alterutra rejecta necessario admittendam esse aliam; & vicissim . Ea enim vis contradictionis , ut *idem nequeat esse simul*, *& non esse* . Tum non esse id necessarium in *contrariis* , quæ ambæ rejici possunt, ac tertia substitui . Ceterum ut oppositioni locus sit , nedum necessaria est identitas subjecti , sed & temporis etiam , & circumstantiarum ceterarum . Alioquin nulla erit oppositio . Quo spectat commune Logicorum effatum : *Oppositio esse debet de eodem subjecto* , *respectu ejusdem temporis* , *atque juxta eamdem*

M *notam*

notam considerato. Quæ vera.

§. XXXI. Sunt apud Logicos ut idearum (§. 13.), ita & enunciationum genera plura, quarum magna pars aut ſemet, aut ex ſolis *Lexicis* nota, nec Philoſophorum commentariis egena. Quare heic *modus* quoque adhibendus, & delectus pro ratiociniorum conſtructione tantum, & intelligentia. Partiemur itaque illas 1. *in neceſſarias* & *contingentes*: 2. in *ſimplices* & *compoſitas*: 3. in *particulares* & *univerſales*: 4. in *certas*, *probabiles*, ac *dubias*. De quibus ſeorſum, & paucis.

§. XXXII. Principio *neceſſaria* dicitur propoſitio, cujus attributum neceſſario & inſeparabiliter ineſt ſubjecto: ut *circuli radii ſunt omnes inter ſe æquales*. *Contingens* vero, cujus prædicatum non ineſt ſubjecto niſi fortuito: ut *arbor eſt fructibus onuſta*. Uſus *enunciationum neceſſariarum* magnus eſt, itemque ſecurior in *analogia*, de qua infra. Item & in ratiociniis *demonſtrativis*, ſicut *contingentium* uſus in *probabilibus*. Interim advertant heic, velim, ſtudioſi tirones, attributa propoſitionum *neceſſariarum* eſſe ex genere *notarum conſtantium* & *invariabilium*: *contingentium* vero ex *notis variabilibus* & *inconſtantibus*, ſive *fortuitis* (§. 21.).

§. XXXIII. Deinde *ſimplex* eſt propoſitio, quæ in alias reſolvi nequit; ut *vir juſtus neminem lædit*. *Compoſita*, quæ in alias reſolvi poteſt: eaque vel *conditionalis* eſt, vel *copulativa*, vel *disjunctiva*. Conditionalis enunciationis partes nectuntur particulis conditionalibus *ſi*, *quoties*,

ties, *dummodo*: ut *si universum est ens contingens*, *est etiam ex nihilo conditum*. *Copulativæ* membra junguntur particulis copulativis *&*, *atque*: ut *nemo esse potest bonus civis*, *& privatam utilitatem publicæ anteferre*. *Disjunctivæ* demum particulis disjunctivis *sive*, *aut*, *vel*: ut *homo vel rebus utilibus vacat*, *vel otiatur*. Omnium maximus usus est in ratiociniis compositis, de quibus paullo post. Ceterum ut *conditionalis* propositio vera sit, necesse est, ut illius *consequens*, pars scilicet quæ subsequitur, ex *antecedente*, ex parte nimirum, quæ præcedit, necessario fluat. Item ut veræ sint *copulativa*, & *disjunctiva*, oportet, ut earum partes sint adeo inter se oppositæ, ut medium omne excludant. Alioquin falsæ erunt omnes, & ineptæ; cujusmodi sunt sequentes: *si fontes punientur*, *nulla erunt in posterum crimina*: item *nequit quis esse justus*, *& commercia agitare*: tandem *princeps aut probos cives fovet*, *aut vexat*. Quæ defectu oppositionis partium, quæ medium omne haudquaquam excludunt, singulæ falsæ & ineptæ.

§. XXXIV. Rursus enunciatio, quæ de rebus omnibus ejusdem generis, aut speciei fertur, dicitur *universalis*; quæ de aliquibus tantum, *particularis* adpellatur. Prioris exemplum esto: *omnes legum contemptores sunt Deo odibiles*. Posterioris: *quidam juvenes disciplinarum studiis serio incumbunt*. Quo in loco diligenter adnotandum, propositiones *necessarias*, de quibus nuper (§. 32.), ob indivulsam attributi cum subjecto

cohæsionem esse semper *universales: contingentes* vicissim ob fortuitam eorumdem conjunctionem esse semper *particulares*; quamquam universales etiam particulæ *omnis*, *nullus* in iis adhibeantur: Ut Davidis emphatica illa: *Omnis homo mendax*, quæ æquivalet huic particulari: *major hominum pars mendax est*. Porro de arte rite construendi propositiones *universales* dicam in capite de *analogia*. Paullo etiam inferius experimento discent tirones absolutam necessitatem propositionum *universalium* in ratiociniis rite construendis.

§. XXXV. Tandem expendendæ supersunt enunciationes *certæ*, *probabiles*, *dubiæ* postremo loco propositæ (§. 31.). Sed de *certis* satis dictum Libro priore (§. 112. seqq.). *Probabilis* autem ac *verosimilis* enunciatio dicitur, quæ veritati magis quam falsitati eccedit: contra *improbabilis* & *inverosimilis*, quæ falsitati propius accedit quam veritati. Major vero accessus hujusmodi veritati quam falsitati in *probabilibus* enunciationibus ex majori faventium, ac minori contrariorum argumentorum pondere petenda est: contra vero major accessus falsitati in *improbabilibus*. Ex quibus intelligimus 1. quum *probalitatem*, tum *improbabilitatem* suos habere gradus; ac illam quidem augeri tam aucta faventium argumentorum vi, quam contrariorum imminuta; vicissim vero hanc aliam. Tum 2. collatis inter se duabus probabilibus enunciationibus illam esse alia *probabiliorem*, cujus aut faventium rationum vis ma-

jor

jor fuerit, aut minor contrariorum. Inde & 3. duarum enunciationum probabilitates esse inter se in ratione *directa* virium argumentorum faventium, & *inversa* oppositorum. Mitto *algebricas formulas*, ne de industria otiari videar in re semet manifesta. Quo autem ex fonte, *rationis* ne an *auctoritatis humanæ*, probabilitas oriatur, dicam Libro postremo.

§. XXXVI. Illud etiam haud latere volo tirones, probabilitatem per disciplinas omnes longe adeo lateque fundi ac propagari, ut, si solam *Mathesim puram*, *Ontologiam*, *Theologiam naturalem*, ac *naturalem Jurisprudentiam* excipias, ceterarum magna pars *mere probabilis* videatur. Cujus potissima ratio quum in intellectus imbecillitate sita est, tum in nimia caligine & obscuritate rerum ipsarum; præcipue vero in occultis divinæ providentiæ consiliis; ut ediscamus, longe plura illius potentiam ac sapientiam efficere posse, quam nos possimus intelligere; ac ita humiles & obsequentissimi in ejus cultu ac veneratione maneamus. Qua de re postea. Hæc interim non eo ceteroquin consilio dicta volo, ut ab earum studio juvenes ipsi avocentur; sed ut majori ac diligentiori illud conatu, atque nova in dies detegendi spe generosius, avidiusque adgrediantur, ac persequantur.

§. XXXVII. *Dubia* tandem vocatur propositio, quæ a vero æque ac falso recedit. Quod quum duplici ex causa oriri possit, vel quia tam faventium scilicet, quam oppositorum argumento-

rum vires ſunt æquales , & ideo ſeſe mutuo deſtrunt, ut 8 —— 8 = o ; vel quia eæ deſunt ex utraque parte: hinc factum eſt, ut in priori caſu enunciatio *poſitive dubia* diceretur , in poſteriori *dubia negative*. Quo autem id genus propoſitiones e *dubiis certæ* reddantur , argumentis opus eſt demonſtrativis ; probabilibus vero, ut in *probabiles* convertantur. Quouſque autem *certitudo*, aut *probabilitas* non effulſerit, judicium omne cohibendum. Iſtuc unicum illudque tutiſſimum *in dubiis* non errandi remedium. Quo fere ſpectat aureum Ciceronis monitum in priori libro de Officiis: *Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ne ſit, an iniquum*. Nam eadem ratione bene quoque præcipimus, dum vetamus quidquam judicare, quod dubites, verum ne ſit, an falſum; niſi quod ibi *de actione prava*, heic de *erroneo judicio* præcavendo agatur.

C A P U T IV.

De quibuſdam enunciationum generibus Geometrarum uſu in demonſtrando probatis.

§. XXXVIII. EST & alia enunciationum claſſis, quæ ratiocinia quoque ſpectat ea ratione, qua a Geometris conſtruuntur, atque longa ſerie, pulcherrimoque nexu

nexu, & ordine diſponuntur. Eæ a *pura Matheſi*, cujus lapſis retro ſæculis erant propriæ, *in Phyſicam*, *Metaphyſicam*, *Ethicam*, *ac revelatam* quoque *Theologiam* eruditorum nunc opera convolarunt. Ea de cauſa tironibus noſtris conſulto heic, paucisque evolvendæ. Sunt autem *definitiones*, *axiomata*, *poſtulata*, *hypotheſes*, *lemmata*, *problemata*, *theoremata*, *corollaria* item, & *ſcholia*. De quibus ſeorſum agendum, exceptis *definitionibus* priori jam Libro (§. 89. ſeqq.) late enucleatis: quæ heic omnino recolendæ.

§. XXXIX. Itaque *axiomata* ſunt enunciationes quædam theoreticæ, & univerſales, quarum plena intelligentia ex ſola vocabulorum comprehenſione pendet: ut *omne totum eſt ſua parte majus*. Dicuntur etiam propoſitiones *per ſe notæ*, *veritates primitivæ*, *prima principia*, ſcientiarum *elementa prima*: quia nec demonſtratione egent; ac prima etiam diſciplinarum conſtructio, unde ſcientifica tela conſurgit, ex axiomatum vel ſecum invicem, vel cum definitionibus concatenatione mutua connexorum duci ſolet. *Axiomata* immediata, ac ſemet fluentia definitionum confectaria eſſe debent: alioquin demonſtratione egerent; nec ideo enunciationes eſſent *per ſe notæ*. Sint quoque, oportet, *propoſitiones univerſales*; in quibus aliæ ſcilicet comprehendantur: ut ita adſumi in ratiociniis poſſint tamquam *principia*, ex quibus nova confectaria, novæque veritates legitima illatione colligantur.

§. XL. *Per ſe notæ* enunciationes ſunt etiam *poſtulata*, quibus aliquid faciendum proponitur; verum non *theoreticæ*, ſive *ſpeculativæ*, ſed *practicæ*: ut geometricum illud: *dato centro, datoque intervallo, circulum deſcribere*. Philoſophorum *poſtulata* eo ut plurimum ſpectare videntur, ut quorumdam contradicendi, ac omnia ſus deque pervertendi libido & audacia coerceatur. Ut illud: *Philoſophandum ex ideis, quas de rebus habemus*. Ut iſtuc: *Quæ clara & evidentia, in dubium minime revocanda*. Ut hoc aliud: *Adhibendus in ſcientiis animus docilis, ac veritatis ſtudioſus, non refractarius & pertinax*. Ut hoc denique poſtremum: *In quavis diſciplina tam certo ea credenda, quæ in illa probantur, quam creduntur reliqua, quæ paris roboris momentis, ac rationibus nituntur*. Quorum poſtrema duo ab illuſtri præſule Huetio in *Demonſtr. Evang.* propoſita, & nos quoque *demonſtrationi noſtræ veritat. reſurrec.* J.C. *adverſus incredulos* præmittenda putavimus Tom. I. §. 44. 46. ubi & in ſubjectis ſcholiis eorum æquitatem, ac rectitudinem demonſtravimus (ibidem 45. 47.).

§. XLI. *Hypotheſes* ſunt propoſitiones, quæ tamquam certæ, ultroque ab aliis admiſſæ, ſine demonſtratione adſumuntur, non quia *per ſe notæ*, quemadmodum *axiomata* ac *poſtulata*, ſed quia facile demonſtrari poſſent; verum ne tempus inaniter teratur, earum demonſtratio prætermittitur. Quandoque id etiam fit, quia in alia diſciplina, vel, ſi in eadem, opportu-

niore

niore tamen in loco eæ sunt demonstrandæ. Quemadmodum non raro id etiam accidit, quia rationem sufficientem phœnomenorum eædem continent, quæ evolvenda sunt. Verum posteriori sensu isto sumpta *hypothesi* his præcipue conditionibus prædita esse debet. 1. Nedum *possibilis* ea sit, oporet; verum & 2. *probabilis*; & 3. phœnomena, quorum per ipsam ratio sufficiens reddenda est, non vi quadam extorta, sed suapte sponte ex ea fluant: 4. ut in supplementum eadem adsumatur *caussarum realium ignotarum*: 5. demum ut conditiones ceteras præseferat, quas Beniaminus Martini recenset in opusculo, cui titulus: *Grammatica delle scienze filosofich*. Alioquin si alterutra, aut singulæ desint, eulandæ prorsus id genus *hypotheses* e philosophicis disciplinis erunt, ac *veræ*, *reales*, *physicæque* phœnomenorum caussæ studiosius inquirendæ, ac proponendæ (Lib. II. §. 39.). Quod si earum inquisitio & inventio difficillima videatur, humanamque superet imbecillitatem, futuras tunc potius in ætates ea detegenda dimittantur, quam ullis evolvantur *hypothesius* numquam *realibus*, sæpe *fictis*, non raro *chimæricis*, & *absurdis*.

§. XLII. *Lemmat.* vocant Geometræ propositiones, quæ neque *per se notæ* sunt, neque ad rem, de qua agitur, spectant; quia vero theorematis, aut problematis demonstrandis inserviunt, nec aliunde citari possunt, iis præmittuntur, ac demostrantur. *Deum* e. g. *existere* adversus atheosdemonstraturus; quum id genus

genus theorema rerum *contingentia* nitatur, nec ea citari aliunde possit, quia nullibi jam prius ea fuit, ut heic supponitur, demonstrata; si in antecessum ostendero, *universum esse ens contingens, ideoque egere ente necessario, ut existat*; eamque enunciationem in divinæ existentiæ theoremate demonstrando citavero; vocabitur eadem enunciatio *lemma*. Sed hæc clariora praxi quam calamo. Lemmatum usus apud Geometras potissimum frequentissimus est; propterea quod theorematum demonstrationes sola citatione breviores et reddant, clariores, & concimniores. Verum solide prius demonstranda sunt; ne iis vacillantibus, theoremata quoque ipsa, quæ eisdem superstruuntur, simul nutent.

§. XLIII. *Problema* dicitur propositio, quæ & practica est, & demonstratione indiget. Ut si dicam: *In ludo, qui vulgo dicitur* trucco, *punctum invenire, a quo resiliens pila eburnea in alteram incurrat*. Ut possibile censeatur *problema*, necesse est modum ostendere, quo id, quod faciendum proponit, aut fiat reipsa, aut saltem fieri possit. Ita possibile erit *problema* propositum, quia juxta regulam *æqualitatis angulorum incidentiæ & reflexionis*, quam elastica quamproxime sequi videntur, facillimum fuerit istiusmodi punctum in alterutro lusoriæ mensæ latere designare.

§. XLIV. *Theorema*, quod & *propositio* generatim, & *thesis* quoque dicitur, est enunciatio speculativa, cujus veritas per demonstrationem

patet

patet: e. g. *Deus leges naturæ morales reipsa hominibus promulgavit*. Quum *theoremata* ex præmissorum principiorum concatenatione mutua ostendantur; hinc tantam illis vim inesse putandum est, quantam principia habent, quibus demonstrantur. Ex quibus intelligimus, quam diligenter firmanda sint prius principia ista, ne iis ruentibus, *theoremata* quoque simul collabantur.

§. XLV. *Corollaria* dicuntur novæ quædam veritates, sive enunciationes, quæ necessaria illatione, ac suapte sponte ex definitionibus, axiomatibus, postulatis, hypothesibus, lemmatibus, problematibus, ac theorematibus deducuntur. Adeo ut tota eorum ratio sufficiens in eisdem contineatur. Nam si aliunde oporteat illa demonstrare, non *corollariis*, sed *theorematibus* accensenda erunt. Sunt *corollaria*, sive *consectaria* utilitatis uberrimæ, dum paucis verbis aliunde eruta atque deducta, novis postac firmandis theorematibus, ac disciplinis propterea ditandis, ac prolatandis conducunt. Verum ingenium postulant satis acutum, & meditationibus addictum, scrutandisque rerum relationibus ac nexibus valde intentum, & idoneum.

§. XLVI. *Scholia* demum spectanda tamquam uberiores definitionum, hypothesium, lemmatum, problematum, theorematum, corollariorum &c. explicationes, quibus e vestigio subjiciuntur. Fieri autem ea uberior explicatio potest modo multiplici. Ac 1. quidem

per

per exempla; quæ ſuapte natura rem, ad quam ſpectant, colluſtrare ſolent : 2. per novarum rationum additamenta : 3. per rei, de qua agitur, hiſtoriam : 4. per oſtenſionem *uſuum*, quibus eadem res pro hominum utilitate & commodo inſervire poteſt : 5. per contrariorum argumentorum enodationem : 6. demum per cujusvis rei alterius adnotationem ſcitu dignam. Quo autem ordine ea principia in demonſtrationibus adhibenda, & pro opportunitate collocanda, dicam poſtea in loco opportuniore. Nam nunc percenſuiſſe illa tantum, & explanaſſe ſufficiat.

C A P U T V.

De ratiocinii natura generatim.

§. XLVII. VEntum ad *ratiocinium*, cujus gratia tria proxime præcedentia capita ſunt a nobis propoſita, & evoluta (§. 9.). In ejus recta adcurataque conſtruendi ratione, ac theoria intentos primum, tum maxime peritos, atque verſatos volo eſſe tirones. Eſt enim *ratiocinium* unicum illud medium, per quod multiplici, admirandoque artificio *veritates* perſcrutamur, adſequimurque *metaphyſicas*. Et quamquam ratiocinandi vis ingenita nobis ſit, non aliunde mutuata; nihilominus ut inditæ facultates ceteræ, puta *canendi*,

nendi, *pulſandi*, *ſaltandi*, aliæque ſimiles, cultura ea maxime eget, ut perpoliatur, firmetur, augeatur, perficiatur. Ad rem igitur, ſed ſi ſæpe alias, heic maxime *qua eundum*, *non qua itur*.

§. XLVIII. *Ratiocinium* generatim adpello artificioſam mentis operationem, qua ex duplici veritate cognita latentem tertiam legitima illatione deducimus. Ut *virtus eſt adſequendæ felicitatis medium*. *Juſtitia eſt virtus*. *Juſtitia igitur adſequendæ felicitatis medium eſt*. Legitime autem latentem tertiam ex duabus prioribus jam notis deducimus; quia ejus ratio ſufficiens in eiſdem tamquam effectus in ſua cauſa continetur. Nam ſi juſtitia eſt virtus, ac virtus adſequendæ felicitatis medium eſt; ſequitur manifeſte, & juſtitiam adſequendæ felicitatis medium eſſe. Alioquin aut juſtitia non eſſet virtus, aut virtus medium non eſſet adſequendæ felicitatis; ut patet. Atque iſtuc quidem ratiocinium *adfirmativum* dicitur ob tertiam enunciationem adfirmativam.

§. XLIX. Idem prorſus accidit in hoc altero, quod propter tertiam pariter enunciationem negativam, *negativum* adpellatur. Scilicet *vitium non eſt adſequendæ felicitatis medium*. *Avaritia eſt vitium*. *Avaritia igitur adſequendæ felicitatis medium non eſt*. Enimvero ſi avaritia eſt vitium, ac vitium non eſt medium adſequendæ felicitatis; ſequitur quoque manifeſte, avaritiam adſequendæ felicitatis medium non eſſe. Alioquin, aut avaritia non eſſet vitium,

tium, aut vitium adſequendæ felicitatis medium foret.

§. L. Tota autem ratiocinii concludendi vis in duobus principiis ſive axiomatibus ſita eſt, quorum alterum fundamentum eſt ratiocinii *adfirmativi*, alterum *negativi*. Horum primum eſt: *Quæ conveniunt cum tertio, conveniunt quoque inter ſe*. Quocirca ſi idea *medii adſequendæ felicitatis* convenit cum idea *virtutis*, quia *virtus medium adſequendæ felicitatis eſt*, quæmadmodum dicitur in enunciatione prima; & cum eadem *virtutis* idea convenit etiam idea *juſtitiæ*; quia *juſtitia eſt virtus*, quemadmodum dicitur in enunciatione ſecunda: vi iſtiuſmodi axiomatis ſequitur, & ideas quoque *juſtitiæ*, ac *medii adſequendæ felicitatis* inter ſe convenire; ac juſtitiam proinde *adſequendæ felicitatis medium eſſe*; quemadmodum colligitur in propoſitione poſtrema.

§. LI. Eſt et alterum: *Quorum unum convenit cum tertio, cum quo aliud minime convenit, ea non conveniunt inter ſe*. Itaque ſi cum idea *vitii* non convenit idea *medii adſequendæ felicitatis*; quia vitium adſequendæ felicitatis medium non eſt; quemadmodum in prima enunciatione dicitur: cum eadem autem *vitii* idea convenit idea *avaritiæ*; quia *avaritia eſt vitium*, quemadmodum dicitur in enunciatione ſecunda: vi alterius hujuſce axiomatis pariter ſequitur, ideas *avaritiæ* ac *medii adſequendæ felicitatis* inter ſe minime convenire; ideoque *avaritiam adſequendæ felicitatis medium non*

eſſe

esse, quemadmodum deducitur in propositione tertia.

§. LII. Porro ex his plura intelliguntur, quæ tironibus non sunt prætereunda silentio. Ac in primis omne ratiocinium rite conformatum constare omnino debere tribus ideis, quarum duæ, quæ *extremæ* dicuntur, comparandæ sint cum tertia, quæ dicitur *media*, ut ex ea comparatione juxta superiora axiomata (§. 50. seq.) palam fiat, conveniant ne inter se; ideoque sint ne eæ mutuo conjungendæ, an divellendæ in enunciatione tertia. Deinde omne ratiocinium complecti quoque debere totidem enunciationes, ut in duabus prioribus fiant binæ collationes illæ duarum *extremarum idearum* cum *media idea*, tum in postrema earumdem conjunctio, aut separatio. Porro duæ priores enunciationes vocantur simul *antecedens*, sive *principia* ratiocinii, tertia *consequens*. Ubi & fluxus quoque adnotandus ipsius consequentis ex antecedente vocabulis *ergo*, *igitur*, similibus expressus, qui & *illatio*, & *consequentia* adpellatur. Tandem mentis rationem *vim* dici *calculatricem*, sive *collatricem* in ratiocinando, ob comparationem illam, quam instituit inter duas *extremas* ideas ac *mediam*, ut sibi constet, conveniant ne illæ an secus inter se. Ut quum in priori exemplo (§. 51.) duæ ideæ *extremæ*, *medii* scilicet *adsequendæ felicitatis*, ac *justitiæ*, conferuntur cum *media* idea *virtutis*.

§. LIII. Quum igitur ratiociniorum concludendi

dendi vis ex duplici axiomate oriatur; tanta erit illorum stabilitas ac firmitudo, quanta axiomatum ipsorum, idest plena, summa, perfecta. Cur igitur, quæret quispiam, non eadem sunt de quibusdam ratiociniis hominum judicia? Scilicet pluribus de causis, quarum præcipuæ sunt, *acumen*, *attentio*, *partium studium*, *suimetipsius amor inordinatus*.... Principio *acumen* non idem omnibus a natura tributum. *Attentio* non æque ab omnibus pro opportunitate intenditur. *Partium studium* sectæ principe neminem doctiorem, ac perspicaciorem credere sinit. *Inordinatus* denique *nostri amor* nostra, quæcumque ea sint, alienis anteferre compellit. His de causis fit, ut quorumdam ratiocinorum vis aliis stabilis ac firma, aliis nutans & imbecilla videatur. Scilicet pendent ea judiciorum discrimina ex eo, quod eadem res ex inæqualibus intervallis, juxta inæquales doctrinæ, examinis, attentionis, ac indifferentiæ gradus, conspiciatur. Oporteret esse illam velut *in sphæræ centro* positam: tum qui de ea judicaturi sunt, in totidem superficiei punctis habere oculos, atque ex illis per æquales radios opticos eamdem contueri. Tunc equidem judicia omnia mirum in modum inter se congruerent. Sed inania vota! ....

§. LIV. Ratiocinia *vera* æque ac *falsa* esse possunt. Quum antecedens, sive principia, in quibus duarum *extremarum* comparatio fit cum *media* idea, vera fuerint, & illatio legitima, ratiocinium dicitur *verum*. *Falsum* contra, si horum

horum alterutrum deerit. Quodnam autem sit principium, enunciatio, judicium *verum*, dictum supra (§. 29.). *Legitima* vero erit illatio sive consequentia, si ex datis principiis suapte sponte fluat, non vi, præterque naturam trahatur. Si, inquam, eædem duæ ideæ, quas *extremas* vocari diximus (§. 52.), conjungantur, aut divellantur in consequente juxta eamdem *notam*, secundum quam in eisdem principiis cum *media idea* fuere comparatæ. Atque in ratiociniorum constructione ob oculos habere semper ista debent tirones, si quidem paralogismos, ac sophismata, omnesque præterea errorum monstra declinare voluerint. Alioquin nullus erit errandi finis; quum in contexendis disciplinis priora ratiocinia sint velut fundamenta ac bases eorum, quæ subsequuntur; atque super falsa nonnisi falsa alia superstrui possint: adeo ut nutantibus prioribus, tota superinducta machina collabatur, necesse sit.

§. LV. Quum principia evidenter vera fuerint, & evidenter quoque legitima illatio, ratiocinium *demonstrativum* adpellatur. Quod si alterutrum, aut utrumque deerit, dicitur *probabile*. Prioris effectus in mente productus *scientia* est, cognitio nimirum certa & evidens rei per causam, sive per rationem sufficientem. Posterioris *opinio*, cognitio scilicet mere *probabilis*, vacillans, & incerta. Quam late per omnes sapientiæ partes, paucis exceptis, *probabilitas* excurrat, dictum suo loco (§. 36.). Nihilominus probationibus *mere*

probabilibus sæpissime nunc præfixam videas literam D. (*demonstratur*), tum in fine Q. E. D. (*quod erat demonstrandum*) ; quum potius præfigenda esset litera S. (*suadetur*), tum postea Q. E. S. (*quod erat suadendum*). Quot aberrationes adcurata rerum distinctio, ac neglecta vocabulorum proprietas non inducit ? . . . .

§. LVI. Demonstratio vel *directa* est, vel indirecta : tum *a priori*, vel *a posteriori*. *Directam* vocant, quum immediata rationum serie *rem ita esse* demonstramus. *Indirectam*, quum velut *oblique ostendimus*, *rem aliter esse non posse* propter absurda, quæ inde sequerentur. Exemplum demonstrationis directæ : *Quod subjecta corpora premit, est grave. Aer subjecta corpora premit. Aer igitur gravis est*. Indirectæ : *Si Deus non est universi conditor, erit illud vel æternum, vel a seipso productum, vel productum a nihilo. Singula autem absurda, atque pugnantia. Primum : quia esset simul contingens, ac necessarium. Secundum : quia foret seipso prius ac posterius. Tertium quia nihilum esset simul nihil & non nihil. Deus igitur est universi conditor*. Porro *directa* demonstratio certitudinem simul parit & evidentiam : *indirecta* certitudinem tantummodo ; quum *nexum* minime pandat subjecti cum prædicato. Ea de causa nonnisi raro, & ob deficientiam demonstrationum *directarum* adhibenda. *Indirecte* demonstrandi genus dicitur *apogogicum*, & *ad absurdum*, estque ad revincendos refractarios maxime idoneum ;

nem; quum ad contradictoria simul concedenda eo adigantur.

§. LVII. Demonstratio *a priori* fit, quum effectus per suam causam demonstratur. Quum vero causa vicissim demonstratur per suum effectum, erit ea demonstratio *a posteriori*. Quarum adpellationum ratio est, quia causa prior est suo effectu, & is sua causa posterior. Ubi & *causæ* nomine non *physica* tantum & *efficiens* respectu effectuum *physice* productorum intelligenda; sed & natura etiam & essentia respectu subnascentium *notarum*; atque quidvis aliud, quod *anteriorem* rationem sufficientem contineat alterius. Sed exemplum demonstrationis a priori fuerit istuc: *Deus est summe bonus. Ergo & providus*. A posteriori: *Existunt entia contingentia. Ergo & ens necessarium, a quo fuere producta*. Quibus autem principiis regendæ demonstrationes istæ, satis dictum Libro II. (§. 31. 51. seqq.). Plura cupienti legendus Genuensis Instit. Log. lib. 4. cap. 3.

CAPUT VI.

De variis ratiociniorum generibus, in primis de syllogismo.

§. LVIII. Ratiociniorum, de quibus generatim capite præcedenti, septem genera a scriptoribus logicis vulgo se-

cernuntur, scilicet 1. syllogismus, 2. enthymema, 3. epicherema, 4. dilemma, 5. sorites, 6. inductio, 7. exemplum. De *inductione* agam in capite de *Analogia*. De ceteris heic seorsum.

§. LIX. *Syllogismus* est ratiocinium tribus constans ideis, totidemque propositionibus, quarum postrema ex prioribus fluit tamquam effectus a sua causa. Ut: *Hominum jura sunt intangibilia. Vita est hominum jus. Vita igitur intangibilis est*. Quum de ratiocinio generatim egerimus hucusque, tamquam de mentis actione tribus ideis totidemque propositionibus constante, quarum postrema ex prioribus legitima illatione deducatur: hinc quæcumque de eo hactenus dicta sunt, syllogismo etiam opportune aptanda. Ceterum ubi de syllogismo agitur, prima enunciatio dicitur *major*, secunda *minor*, sive *adsumptio*, tertia *conclusio*: ac duæ priores *præmissæ* adpellantur.

§. LX. Dividitur autem syllogismus in *simplicem*, & *compositum*. Quum enunciationes ejus omnes *simplices* (§. 33.) sunt, vocatur *simplex*: *compositus* vicissim, si præmissarum alterutra fuerit *composita*. In syllogismum *simplicem* duo problemata proponi possent, exercendis tironum ingeniis utilissima. Primum: *Data enunciatione, syllogismum construere, cujus ea sit conclusio*. Alterum: *Syllogismo jam constructo, rectus ne ille sit, an pravus, ostendere*. Porro de simplicium syllogismorum constructione tot tamque implicita, & involuta *regulis* illis, *figuris*, *ac modis* tradidere olim scholæ Philo-

losophi, ut invium valde nemus, ac inextricabile labyrinthum merito dicere possis. Ea passim damnant recentiores Logici tamquam inutilia, usuque carentia, atque ad *gustum germanæ Philosophiæ retundendum* comparata. Quæ recta. Retinenda tamen censent, ac retinent reipsa tamquam *superioris ætatis barbariei monumenta*. Quæ ego non probo. Sat enim, si putida id genus monumenta (si quidem retineri, ac non potius deleri prorsus, tamquam præstantissimæ disciplinæ dedecora ac labes merentur) in Scholasticorum libris asservetur. Turpe siquidem, *ut superflua sciamus, necessaria nescire*.

§. LXI. Itaque simplicissima, plana simul, ac germana prioris problematis solvendi via fuerit, si ratio sufficiens inveniatur, cur datæ propositionis attributum subjecto conveniat, aut non conveniat. Ea porro inventa, atque pro *media idea* adsumpta, res tota absoluta erit, solutumque problema propositum, in hunc modum. Sit primum enunciatio isthæc adfirmativa: *Deo est parendum*. Ratio, cur prædicatum *parendum* subjecto, idest *Deo* convenit, summum est illius in nos *dominium* ratione creationis, & conservationis. Quare eo *dominio* pro *media idea* adsumpto, sic conficitur syllogismus: *Ei, qui summum in nos dominium habet, parendum. Deus summum in nos dominium habet. Deo igitur parendum*. Sit modo hæc alia enunciatio negativa: *Luna non est corpus lucidum*. Ratio sufficiens, cur prædicatum

lucidum non convenit subjecto, nempe *lunæ*, sunt illius *phases*, quibus illa non subijceretur, si suapte natura licida foret. His proinde pro *media idea* adsumptis, syllogismus alter conficitur in hunc modum: *Corpora lucida non sunt phasibus obnoxia. Luna phasibus obnoxia est. Luna igitur non est corpus lucidum.* Quomodo autem ea ratio sufficiens nexus, aut pugnæ attributi cum subjecto invenienda sit, meditatione opus est plurima, studioque adsiduo.

§. LXII. Solvitur autem problema alterum dupliciter, ac duplici adhibita observatione. 1. Si duæ *extremæ ideæ* eo modo copulatæ, aut sejunctæ in conclusione fuerint, quemadmodum in præmissis fuere cum *media idea* comparatæ. 2. Si præmissarum altera conclusionem contineat, altera contineri illam declaret. His in casibus recta erit simplicium syllogismorum constructio, nec ulli vitio obnoxia. Ut in hoc exemplo: *Legum contemptores sunt societati infensi. Libertini sunt legum contemptores. Libertini igitur sunt societati infensi*: in quo, quia & ea trium idearum comparatio rite instituta est, & conclusio in *majori* continetur; quemadmodum *minor* enunciatio declarat; nullum prorsus in eo vitium occurrit. Ubi illud tironibus addendum, in syllogismis adfirmativis *continentem* propositionem esse universaliorem adfirmativam; in negativis universaliorem negativam; cujus ratio est, quia ea est veluti *totum*, in quo conclusio tamquam *pars* continetur. Unde illud in syllogismis adfirmativis

tan-

tantopere decantatum: *Posito toto, ponitur pars*. Et in negativis: *Toto sublato, pars tollitur*. Ut in hoc exemplo: *Nemo coinquinatus intrabit in regnum cælorum. Adulteri sunt coinquinati. Adulteri igitur non intrabunt in regnum cælorum*. Ubi sublato *toto* in majori, tollitur *pars* in conclusione.

§. LXIII. Dum syllogismus simplex hominum mores spectat, quatenus boni sunt aut pravi, legibus proinde conformes aut difformes, prior enunciatio dicitur *principium*, secunda *adplicatio*, postrema *sententia*. Quamquam & in ceteris nunc promiscuè rebus eadem nomina & adpellationes jam vulgo adhibeantur, *principium* præsertim & *adplicatio*, *major* scilicet ac *minor*. Ac principium quidem constituitur per *jus*, aut *legem*: *adplicatio* per *factum*, sive per actionem *moralem* aut factam, aut omissam: *sententia* vel absolvit ut innocentem, vel ut reum condemnat. Ac si a nobis ipsis super proprias actiones, aut omissiones efformetur, vocatur *conscientia*, fierique dicitur *in foro interno*; *in foro* autem *externo*, adpellaturque *judicium*, exigitque plenam in Prætore legis, legisque spiritus, tum jurium, ac factorum, circumstantiarumque omnium intelligentiam, quum alienas actiones spectat, & omissiones. Ad *judicium* pertinet exemplum istuc: *Qui alienam uxorem violat, est mœchus. Paris Helenam Menelai uxorem violavit. Paris igitur fuit mœchus*. Quia de alieno facto. Ad *conscientiam* vero hoc aliud Judæ proditoris: *Qui*

tradit sanguinem justi, peccat. Proditione autem magistri ego tradidi sanguinem justi. Peccavi igitur: quia de proprio. Conscientia propriorum delictorum inexorabilis est, semperque remordet ac damnat, etiamsi totum genus humanum insontes nos, innocentesque proclamet. Hinc Davidis illud: *Peccatum meum contra me est semper!* Utinam ut conscientia in propriis, tales quoque essént & Prætores in factis alienis! . . . . Sed pergamus.

§. LXIV. Syllogismus *compositus* (quæ altera divisionis pars §. 60.), æque ac *composita* enunciatio (§. 33.), vel *conditionalis* est, vel *copulativus*, vel *disjunctivus*. *Conditionalis*, si major conditionalis enunciatio fuerit, minor pars illa, cui præfixa particula conditionalis, conclusio pars reliqua. Ut: *Si Cajus est probus, laudatur & alget. Est autem probus. Laudatur igitur & alget*. *Copulativus*, si major fuerit propositio copulativa ea ratione in partes distributa, ut si altera minorem adfirmativam constituat, altera conclusionem negativam *vi oppositionis* constituere debeat: ac vicissim. Ut: *Nemo esse potest bonus civis, & privatam utilitatem publicæ anteferre. Cato est bonus civis. Privatam igitur utilitatem publicæ minime anteponit*. *Disjunctivus* tandem, si eadem major propositio fuerit disjunctiva, ac ejus pars una adfirmetur in minore, altera in conclusione vi ejusdem *oppositionis* denegetur: aut vicissim: Ut: *Prætor vel justus judex esse debet, vel iniquus. Est autem justus. Non igitur*

judex

judex iniquus. Vel: *Est autem judex iniquus. Non est igitur justus*.

§. LXV. Atque hæc *compositorum* syllogismorum genera, quorum usus in scientiis universis patet quamlatissime. Ceterum levissima attentione intenta, facillimum tironibus fuerit eos in *simplices* commutare. Ut ecce hæc eadem exempla. Primum: *Viri probi laudantur & algent. Cajus est vir probus. Ergo laudatur & alget*. Secundum: *Bonus civis privatam utilitatem publicæ anteponit. Cato est bonus civis. Privatam igitur utilitatem publicæ anteponit*; vel contra. Tertium. *Justus judex non est iniquus. Prætor est justus judex. Non igitur iniquus*: vel contra. Quæ idcirco innui, ut constet, quæ de *ratiociniis* generatim dicta sunt (§.48. seqq.), nedum *simplicibus* (§.59.), sed &, levissima hac immutatione facta, *compositis* etiam syllogismis aptari posse. Quin & ceteris consequenter ratiociniorum generibus aptantur, quæ consequuntur: quum singula ad syllogisticam formam, uti mox patebit, nullo negotio revocari possint. Quinimmo haud immerito fortasse putaverim, totam eorum concludendi vim ex eo pendere, quod tacita quadam ratione *intrinsecus*, & *quoad substantiam* totidem syllogismi sint; licet extrinsecus, & quoad verborum complexum diversi videantur. Alioquin nec generalis ratiocinii definitio omnibus recepta atque probata aptari iis posset; & absque duarum idearum comparatione cum tertia nil revincerent, nihilque concluderent; ut patet.

§.

§. LXVI. *Enthymema* fit, quum alterutra præmissarum syllogismi reticetur. Ut: *Sentit. Vivit igitur*. Ubi reticetur: *Qui sentit, vivit*. Est itaque syllogismus quidam compendiarius, ad brevitatem æmulandam adhibitus. Ut proinde eadem sint utriusque præcepta.

§. LXVII. Germanus quoque syllogismus est *epicherema*, eisdemque præceptis regendum, atque in eundem brevitatis finem adhibitum. Nam eo spectat probatio illa, quæ alterutri, vel utrique præmissarum in ipsius constructione adjungitur. Ut in hoc exemplo: *Omnis contractus, in quo non servatur æqualitas, injustus est, legeque naturæ proscriptus. Quia æqualitate deficiente, vel dolus interest, vel fraus: quorum utrumque naturæ lex proscribit. In contractu vero mutui cum usuris non servatur æqualitas. Mutuans namque tutus est quum de sorte, tum de lucro: mutuatarius vicissim periculo subjacet quum amittendæ sortis mutuantis, eamque solvendi, tum amittendi industriam, ac propriis præterea sumptibus solvendi usuram. Contractus igitur mutui cum usuris injustus est, legeque naturæ prohibitus*. Curandum autem in epicheremate construendo, ut rationes *præmissis* adjectæ solidæ ac firmæ sint, nullisque exceptionibus obnoxiæ. Alioquin ineptissimum erit illud, novisque probationibus egenum.

§. LXVIII. *Dilemma* (*cornutum argumentum* vulgo dictum) est quoddam ratiocinii genus, in quo ex singulis disjunctivæ enunciationis partibus, quæ *antecedentis* loco ponitur, sua pe-

peculiaris conclusio deducitur. Ut si dicam: *Universum aut intelligentiæ & consilii opus est, aut puri casus. Si intelligentiæ & consilii; cuncta in eo ordinata sunt. Si puri casus; confusa omnia, ac perturbata.* Tota vis dilemmatis in oppositione partium disjunctivæ propositionis, quæ medium omne excludant, sita est. Alioquin ad demonstrandum æque ac refellendum ineptum erit. Curandum etiam, ut singulæ conclusiones, quæ ex partibus illis colliguntur, suapte sponte fluant. Resolvi etiam in totidem syllogismos potest, quot partes antecedens enunciatio complectitur; licet vi oppositionis earumdem partium unus tantummodo *verus* esse possit. Ut in eodem exemplo: *Opus intelligentiæ & consilii, est opus ordinatum. Universum est opus intelligentiæ & consilii. Ergo ordinatum.* Qui verus. At contra falsus: *Opus puri casus, est opus confusum ac perturbatum. Universum est opus puri casus. Confusum igitur ac perturbatum.* Ut proinde syllogismorum præcepta ne in *dilemmate* quidem construendo negligenda sint.

§. LXIX. Vocant *soritem*, sive *acervum* ratiocinandi genus, in quo plures ad arbitrium enunciationes ita simul nectuntur, ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ, hujus etiam prædicatum subjectum tertiæ, & ita porro, donec tandem prioris subjectum cum prædicato ultimæ in conclusione copuletur. E. g. *Qui leges violat, prave agit. Qui agit prave, scelestus est. Qui est scelestus, est etiam infelix.*

Ergo

Ergo qui leges violat, infelix est. Huic etiam syllogismorum præcepta aptanda; quum in totidem syllogismos resolvi possit, in hunc modum: *Qui leges violat, prave agit. Cajus leges violat. Cajus igitur prave agit*. Item: *Qui prave agit, scelestus est. Cajus prave agit. Est igitur scelestus*. Tandem: *Qui scelestus est, est etiam infelix. Cajus est scelestus. Infelix igitur*. Quæ plurium syllogismorum concatenatio, in qua præcedentis conclusio in majorem transit subsequentis, *polysyllogismus* adpellatur, a quo non abhorrent Geometræ, adhibetque Cicero in *Tusculanis* lib. III. cap. 7. Ceterum quum *sorite* utimur, cavendum diligenter, ne qua propositio aut falsa, aut non satis firma immisceatur. Alioquin subsequens enunciationum series, & inde conclusio ipsa postremo loco deducta, falsa, aut vacillans erit. Nulla enim firma moles absque firmis, atque stabilibus fundamentis umquam subsistet.

§. LXX. Ratiocinamur denique *ab exemplo*, quum ex facto quopiam particulari factum aliud colligimus. E. g. *Romana resp. civium luxu & ambitione corrupta est. Ergo & quævis alia simili luxu & ambitione corrumpetur*. Esopi *fabulæ*, & *parabolæ evangelicæ* totidem *exempla*, licet non realia sed ficta, sunt hominum moribus conformandis de industria instituta: Quo autem exempla ad probandum sint idonea, similitudine utrinque opus est circumstantiarum, licet non exacta illa ac plena; alioquin non similitudo ac *paritas* ea foret, sed *identitas*: quæ

quæ utplurimum nimis rara. Sat erit, si ea parte intersit, qua alterum exemplum colligitur ex altero. Ceterum sunt ea Oratorum potius, quam Philosophorum propria, nisi vel ad quidquam illustrandum tantummodo ea fuerint adhibita; vel a causis necessario agentibus petantur. Quæ enim exempla res gestæ sunt causarum liberarum; ut hæ in agendo instabiles, variæ, ac numquam fere sibi similes esse solent; ita & illa variabilia, sibique difformia; nec proinde ad quidquam demonstrandum idonea. Possunt ea etiam ad syllogisticam formam deduci, ac syllogismorum subinde præceptis subjici in hunc modum: *Eædem causæ eosdem producunt effectus, similes producunt similes: Luxus autem & ambitio romanam rempublicam corruperunt. Ergo quascumque alias similiter corrumpent.*

§. LXXI. Sed monendi postremo loco tirones, ne inter ratiocinandum *paralogismis*, aut *sophismatibus* turpiter implicentur. Sunt porro *paralogismi* ratiocinia, quorum vitia statim in oculos incurrunt. *Sophismata* vicissim mentem cautam, serioque intentam, quo detegantur, expostulant. De his utramque paginam apud Logicos, etiam qui delicatiores videri amant, repletam invenias. Vereor autem, ne quum ea tam late ac minutatim tironibus exponunt, *sophisticam artem* illos una opera edoceant .... Ut autem ea Philosophorum dehonestamenta devitent, ideas in primis ac voces eodem ubique sensu in ratiociniorum con-

stru-

ſtructione adhibeant. Ita quippe *homonimias* ſive æquivocationes declinabunt. Tum enunciatio, quam aut demonſtrandam, aut refellendam adſumunt, concluſio ea ſemper ſit, juxta methodum ſupra (§. 61.) traditam, ratiocinii, quo utuntur. Ita enim ſophiſma prorſus vitabunt, quod *ignorationem elenchi* adpellant. Nec *principium* ullibi pueriliter *petant*, idipſum pro certo adſumendo, quod in quæſtione verſatur. Abſtineant poſtremo a *circulis vitioſis* ſive *diallelis*, in quos ridicule prolabuntur ii, qui idem per idem, A. videlicet per B., & B. per A. comprobant. Nam id neutrum probare eſt, ſed aut inſanire prorſus, aut ineptire. Sed nudam veritatem ſine dolo, ſine fraude ubique perſequantur. Id enim *philoſophari* eſt, id ſtudiorum labores cum ſucceſſu, cum laude, cum nominis gloria impendere: cetera rationem ipſam turpiter deſerere, otiari item, ineptire, inſanire . . . .



CA-

CAPUT VII.

De inquisitionis veritatum metaphysicarum necessitate, utilitate, delectu.

§. LXXII. Constitutis superioribus Capitibus principiis illis, quorum intelligentia *veritatum metaphysicarum* inquisitioni ingentem lucem præbere solet, in viam veluti deducimur præceptorum inquisitionis ipsius. Ut autem id genus studiis impensius, avidiusque dent operam tirones nostri, ab illorum necessitate, & utilitate exordiendum putamus. Ea est enim avida simul ac laboris impatiens hominis natura, ut quemadmodum sine ulla boni, sive *realis* ac *veri*, sive tantum *apparentis*, spe, etiamsi furca compellas, iners nihilominus & inactuosa persistit; ita vicissim generose & hilariter quidvis adgrediendum censet, adgrediturque reipsa, ubi magna, & eximia proposita illi fuerint laborum præmia, præsertim cum gloria nominis conjuncta. Est igitur *metaphysicarum* veritatum investigatio quum necessitatis maximæ, tum utilitatis uberrimæ, præsertim si cum inquisitione ac studio conferatur veritatum *physicarum*, de quibus superiori Libro II. cap. 3. Illa enim *animalis naturæ* commoda proxime spectat: hæc bona *spiritualis*. Illa corporea ac sensibilia, hæc incorporea & intelligibilia;

bilia: illa terrena & caduca, cælestia hæc & sempiterna: illa, verbo, mundum corporeum, hæc spiritualem, ac ipsum præcipue universi Conditorem contemplatur. Tum *sensibilia observando*, *experiundoque*, coturnices quodammodo imitari videmur; quæ humili depressoque volatu solum fere ipsum abradunt. At intelligibilia ac spiritualia *meditando*, in sublime gloriosius elevamur ut aquilæ.

§. LXXIII. Sed generaliora ista. Rem propius attingamus. Principio est *Ontologia*, velut seminarium univerfaliorum principiorum, quibus tamquam primordialibus fundamentis disciplinæ ceteræ superstruuntur. Habent quidem singulæ sua peculiaria principia; elementa propria: sed *proxima*, sed *immediata* tantum, ac talis propterea naturæ, ut vim omnem ac pondus ob *ontologicis* fœnerentur. Hinc Ontologia, quemadmodum alibi dictum, *prima philosophia*, *præfatio*, ac *prolegomena disciplinarum omnium* adpellitata, ne excepta quidem *Mathesi*, quæ axiomata plura, eaque fundamentalia, quibus videlicet tamquam fundamentis superstruitur, ab illa mutuatur. Hæc intelligibilem mundi ordinem pandit. Hæc primas rerum rationes suppeditat. Hæc in divinam entium omnium originem, ac finem manu quodammodo nos ducit. Hinc obsoluta necessitas patet inquisitionis, ac studii veritatum *ontosophicarum*: nisi philosophicum molimen construere velimus sine basibus ac fundamentis nimis ridicule.

§. LXXIV. Deinde neque minus utiles, minusque

nusque necessariæ veritates *psychologicæ* . Hæ namque docent nos in primis, quid sumus, unde sumus, & quonam tendimus, *victurique gignimur*. Quæ quantum nostra intersit scire, ipsiusmet Apollinis celeberrimo oraculo significatum, dum præcipit: *NOSCE TEIPSUM*, nosce videlicet animam tuam. Nam quemadmodum Platoni scite adnotatum in *Alcibiade*, *animam nosse jubet, qui præcipit*: *NOSCE TEIPSUM*. Quæ & Ciceronis quoque sententia fuit in *quæst. tusculanis*, & ceterorum præterea scriptorum. Interest, inquam, plurimum nosse, hunc Dei *halitum*, *divinæ hanc auram naturæ* non inertis materiæ compagem, sed spiritum esse illum semet percientem, Dei, rerumque divinarum intelligentem, bonorum cupidum, malorumque aversantem, ratione, liberoque arbitrio, aliisque præterea eximiis dotibus exornatum: tum immediata Dei actione ex nihilo conditum, nec morti, aut corrumptioni obnoxium, sed incorruptibilem, sed immortalem, sed ad immarcescibilem virtutum, bonorumque operum coronam, æternamque ac plenam in cælis felicitatem tendentem, & anhelantem. Hæc, inquam, & innumera, ac præclara id genus alia, quæ nos propius tangunt, & quæ nobiliorem nostri partem, quin & nosmetipsos (*animus quippe uniuscujusque is est quisque*) spectant, valde interest scire.

§. LXXV. Rursus nec levior necessitas urget, aut utilitas veritatum *pneumatologicarum*.

Est quippe amplissima hæc, stupenda, ac supra modum pulcherrima mundi machina instar cujusdam *Regiæ*, quam incolendam, & inhabitandam summa nobis munificentia Deus largitus est, condiditque ex nihilo. In ea tot varia, tamque multiplicia parata bona, quibus nedum naturæ indigentiis & commodis subveniremus, sed oblectationibus quoque innumeris, ac jucundis, velut *luxu* quodam animum recrearemus. In eadem velut adsidentes ad mensam providentissima Dei manu alimur, allicimur blanditiis, ac motum quotidie excipimus, & spiritum, & vitam. Quum igitur in sua domo, ac suam velut ad mensam tot beneficiis, tantaque dilectione, ac munificentia a Deo cumulemur; adeo ne rudes, adeo ne vecordes & ingrati erimus, ut ne scire quidem damnabili negligentia curemus, quisnam sit talis tantusque Parens amantissimus, summeque providus? quæ ejus dotes, ac perfectiones? qui in tam effusissima erga nos caritate finis? & quemnam postremo cultum grati impendere debeamus? Quisnam tam barbarus, tamque ferox, & immanis hospes, qui ne nosse quidem suum curet benefactorem, nedum nullas pro collatis beneficiis ei gratias agere? Sed ut *psychologici*, ita & *pneumatologici* studii illud maxime necessitatem ostendit & utilitatem, quod magno *Scientiæ morum*, in primis *Jurisprudentiæ naturalis* ædificio utraque ea Metaphysicæ pars & fundamenta suppeditat, & muros, & tecta, & omnia. Adeo ut sint velut

lut *Ethicæ fundus*, a quo & humanæ actiones regendæ, & morales naturæ leges rectrices, & Dei hominumque jura servanda, & pœnæ denique, & præmia in illam derivantur: nec ea aliud seorsum præstare videatur, quam hujusmodi mutuatas suppetias honeste vivendi rationi, ac normæ accommodare.

§. LXXVI. Adeamus tandem disciplinas *ethicas*, quarum veritates licet ob mores ad eas conformandos *practicæ* dicantur; sunt tamen æque *methaphysicæ*, intelligibiles, & abstractæ, ac ceteræ; nec aliter quam *rationis usu* inquiri, & inveniri possunt. Harum necessitas superioribus fortasse major, ideoque summa dicenda est; quum sit necessitas *finis*: *ontologicarum* vero, *psychologicarum*, & *pneumatologicarum* necessitas tantum *medii* (Lib. I. §. 76. 81. 83.); propterea quod videlicet per virtutum, officiorumque semitas *ad beate vivendum*, quod Ethica docet, ordinantur. Hujusmodi sunt in primis, quæ virtutes ipsas, quæ Dei hominumque jura, quæ leges naturæ morales, quæ harum præmia, ac pœnas, quæque *pietatis* adversus Deum, adversus nosipsos *sobrietatis*, ac *justitiæ* demum & *beneficentiæ* adversus alios homines officia latissime spectant. Has enim veritates tam inquirere, ac nosse oportet, quam necesse est mores, vivendique rationem ad easdem componere. Quæ utique necessitas summa, maxima, & qua urgentior excogitari non potest alia. Nam quid tristius accidere

umquam homini poterit, quam *intemperanter*; quam *injuste*, quamque *impie* vivere?

§. LXXVII. Est itaque *metaphysicarum veritatum* investigatio & adsecutio, plusquam quævis alia, utilis ac necessaria. Verum *judicio* opus est plurimo, ut quæ in propriam dumtaxat aliorumque utilitatem conferri possunt, ceteris omissis, deligantur, seriæque meditationi subjiciantur: *Judicio*, inquam, ea quidem in re opus est plurimo. Enimvero quamquam a *methaphysicis* nunc disciplinis exulare jam fere omnes videantur sempiternæ ac steriles tricæ illæ scholasticæ; substitutæ nihilominus a recentioribus aliæ, quæ si non æque ispidæ ob novitatem & incultæ, æque tamen vanæ ac supervacaneæ censeri possunt. Hujusmodi e. g. sunt, quæ de idearum origine, de tempore creationis animorum, de mutuo mentis corporisque commercio, deque pluribus id genus aliis, quibus *Psychologia*, nobilissima alioquin disciplina, scatet universa, molesto satis ac interminabili calamo disputantur. Siquidem si conglobentur ea omnia in unum, tum vi quantalibet valida comprimantur, haud certe sperandum, ut simplex ac minimula aquæ gettula (si ita quidem loqui fas est) pro nostra aliorumve utilitate & commodo in terram diffluere videatur. Adeo ne otia cum otiis turpiter ac ridicule commutavimus, quando *Manibus* potius devovere utraque, atque in malam crucem amandare deberemus?

Num-

Numquid tantopere gloriabimur, quia fœnum paleæ substituimus, & glandes pomis agrestibus?

§. LXXVIII. Idem quoque delectus diligenter faciendus in *Ontologia*, in quam nova illa *cosmologicorum* argumentorum adsociatione, universa pene Physica generalis intrusa est. Item & in *Theologia naturali*, & in *Scientia morum*, præsertim in *Jure naturæ*. Nam hoc opus adeo in immensum reluctante natura jam excrevisse videmus, ut si quorumdam, etiam qui magistri in eo putantur, singuli libri in quatuor partes dividerentur, vix una tantum germana esset, naturalis, ac ipsius *Jurisprudentiæ* propria: ceteris prorsus extraneis, & nothis, atque partim ad *Philologiam*, partimque ad *Forum*, atque ad disciplinas alias pertinentibus. Adeo ne disciplinam, quæ ad doctos æque atque ad ignarum vulgus, ipsasque femellas spectat (quippe quæ *omnium pectoribus*, teste Paulo, *insculpta est*; omnesque ex æquo ad *naturæ officia* adigit atque compellit) interpolavimus, involvimus, deformavimus, ut magnis persæpe ingeniis inextricabili labyrintho similis videatur? Utinam in eam formam concinnaretur in posterum, ut, quemadmodum *theologicus* ille ac *fidei*, ita corpus ex eadem compactum *philosophicus* sive *naturæ catechismus* dici posset! Sed quousque plus hac illacque excurrere, quam recta progredi; plus foliis oblectari ac floribus, quam fructibus vesci; ac plus demum propria ostentare ingenia, quam lectoribus prodesse ethici scriptores amant; frustranea ea vota fuerint,

rint, atque ad auram, ut dicitur, numquam reditura projecta, & jaculata.

CAPUT VIII.

De generalioribus quibusdam monitis sive animadversionibus, quibus humana ratio in metaphysicarum veritatum investigatione regenda.

§. LXXIX. EST *metaphysicarum* veritatum investigatio quantum ex præcedenti capite utilis ac necessaria, tantumdem salebrosa, ac periculis plena. Adeo ut vel sublimiora persæpe ingenia in arduos quosdam scopulos inextricabiliter illidantur. Ne igitur tirones nostri ullibi periclitentur, tutaque via incedentes mella tantum ex floribus, veneno abjecto, sugere possint; generalioribus quibusdam animadversionibus sive *monitis* præmunitos volumus, quæ in meditationibus metaphysicis *axiomatum* loco ob oculos semper obversari ipsis debent. Ea autem sunt hujusmodi.

§. LXXX. Monitum primum: *Librandas antea proprias vires, si meditationibus ineundis pares fuerint; alioquin sublimioribus eas ingeniis reliquendas.* Pares erunt eæ vero & idoneæ, si 1. *ingenium* non sit omnino hebes: si 2. ferat valetudo: si 3. urgentiores curæ permittant:

tant : si 4. iis præsidiis munitus fueris, a quibus rei meditationibus subjectæ intelligentia pendet. Alioquin ne tempus teratur inaniter, satius fuerit a sublimioribus saltem meditationibus abstinere, easque amplioribus ac præstantioribus ingeniis remittere. Hinc *solidam* e. g. *Mathesim* meditationibus committere velle sine præsidio *planæ*, ineptire est, aut prorsus insanire. Quo spectat Juvenalis illud Sat. XI:

. . . . . Bursæ
Noscenda est mensura tuæ, spectandaque rebus
In summis, minimisque. Cum piscis ematur,
Ne multum cupias: cum sit tibi gobio tantum
In loculis . . . .

Ceterum ob solam rei difficultatem, quæ ut rebus ceteris, ita & in meditationibus ineundis primum in animum incurrat, non statim dejiciendus est animus, nec inquisitio abjicienda. Secus nihil egerimus umquam, nec scientiarum limites ultra protenderentur. Quamobrem meminerint, altaque heic mente reponant generosi tirones, pulcriora & utiliora inventa, ut laboriosiora ac difficiliora plerumque esse solent, ita & generose enitentis ingenii sint, oportet, & constanter inquirentis. Quam informis, ac scheletro similis adhuc Astronomia foret, si eques Newton sub initium difficultate perterritus vires spopondisset, animumque ab illius studio avocasset? Quam contra aucta nunc, perpolita, atque ad perfectionis fere culmen

men & apicem evecta, propterea quod difficultates omnes, quæ initio sibi objecere, intrepido, generosoque conculcavit pectore, obfirmatoque animo superavit!

§. LXXXI. Monitum secundum: *Quæ humanum captum prætergrediuntur, non esse illa metaphysicæ inquisitioni subjicienda*. Scilicet utendum intelligentiæ viribus, quemadmodum vires corporis adhibere solemus, quas trahendis, aut elevandis, aut deferendis ponderibus numquam impendimus, nisi horum renisu illæ intentiores fuerint ac robustiores. Eadem prudenti æconomia utimur in usu ceterarum facultatum. Oculorum aciem non intendimus ultra intervalla, ad quæ pertingere potest. Item & auditus. Nec gressus ultra dilatamus, nec expandimus brachia, quam expandere, aut dilatare possumus. Sunt arcana quædam adeo involuta, ut sempiterna quædam & immobilia obstacula interposita videantur, quæ illa nobis celent, occultentque. Quantopere a sublimioribus ingeniis adlaboratum in evolvendo mentis corporisque *commercio*? Nihilominus post tot tantosque labores hæremus adhuc *in mysterio*. Idem dixeris de *permissione malorum*: idem de *origine gravitatis*: idem de millenis aliis vulgo notis. Hæc igitur in inquisitionibus metaphysicis prætereunda. Nam *vitium est*, inquit scite Cicero in priori de Officiis, *quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras .... conferunt*. Næ plane ridiculus, aut insanus is proculdubio foret, qui ultra in-

ter-

terjectum montem bovem, aut equum prospicere contenderet! . . . .

§. LXXXII. Monitum tertium: *Nihil idcirco falsum reputandum, quod ab humana intelligentia comprehendi non possit*. Hæc enim parvitate sua non est *veri norma* atque *mensura*. Si eousque ejus vires protenderentur, ut nihil *veri* ipsam lateret; falsa tunc essent omnia, quæ ab se comprehendi nequirent. Nunc contra se se res habet. Millies quippe ac millies majora numero sunt, quæ ejus vim prætergrediuntur, quam quæ certa & explorata habet. Fuit olim istud Dogmaticorum (si quidem ii extitere umquam) delirium (Lib I. §. 105.), ut nihil se ignorare putarent. Verum ut *nulla est fœditas sine amatore*, *ita nulla absurditas sine patrono*; quod Senecæ sapienter adnotatum. Quam prudentior, ac modestior magnus ille Augustinus, dum monet, *meliorem esse fidelem ignorantiam*, *quam temerariam scientiam*! Quid igitur *falsi verique norma* fuerit atque *mensura*? Scilicet est *norma falsi* manifesta dumtaxat pugna & oppositio subjecti cum prædicato. Quemadmodum vicissim *norma veri* manifesta eorumdem connexio. Ubi neutra adfulserit; suspendenda tunc potius ex prudentiæ legibus judicia erunt, ac res inter arcanas, & ignotas accensendæ; non autem putandæ falsæ, quod eas comprehendere nequeamus.

§. LXXXIII. Monitum quartum: *In inquisitionibus metaphysicis mentis attentionem supra modum intendendam*. Mentis *attentio* est

ejusdem

ejusdem adplicatio rei, quam contemplamur; quemadmodum *attentio* sensuum est eorumdem adplicatio rebus, quas observamus, aut experimur. Quare sicut absque sensuum adplicatione nil videmus, nihil audimus, nihil sentimus; ita nec intelligere possumus quidquam absque mentis attentione. Ea autem maxima esse debet in inquisitionibus metaphysicis; propterea quod earum objecta, quia captu difficiliora, facilius mentis aciem eludunt. Itaque *attentio*, eaque seria, nimisque intenta, spectanda velut frænum, quo res menti objectæ immobiliter fixæ detinentur, ne avolent, & evanescant. Porro sive cogitemus quidquam, sive agamus, *attentio* adeo ubique necessaria, ut sine illa plene intenta nihil unquam fuerit in cogitationibus, actionibusque nostris pulcri, nihil concimni, nihil ordinati. *Attentioni* contraria est mentis *alienatio*: quæ quum magna est, modumque excedit, ne fragorem quidem tormenti bellici audire sinit, nec ustionem ex adposito igne sentire; quemadmodum de presbytero illo Restituto narrat S. Augustinus.

§. LXX IV. Monitum quintum: *Nihil spectandum ex parte, sed omnia ex relationibus ad totum dijudicanda*. Universum quippe, sive sensibile & corporeum, sive intelligibile ac spiritale, opus proculdubio est summi consilii, mentisque infinita sapientia, infinitaque intelligentia pollentis. Cuncta igitur in eo *nexa* & *ordinata*. Quivis autem *ordo* id omnino postulat, ut *toti ordinati* partes ad ipsum totum

tum referantur, in quo ſunt, & propter quod ita potius quam aliter *nexæ*, & *ordinatæ* ſunt. De iis igitur, bonæ ne ſint an malæ, pulcræ an deformes, utiles an inutiles & ſupervacaneæ, ac ita porro, judicium omne ferendum ex relationibus, quas habent ad totum, in quo ſunt, & propter quod ita potius quam aliter ſunt. Ea de cauſa ridiculus plane haberetur & ineptus, qui de data quavis horologii particula *ſeorſum* judicare vellet, fore ſcilicet illam e.g. utilem aut inutilem, bonam aut malam; nec prius referret illam ad integram horologii machinam, in qua eſt, & propter quam ita potius quam aliter eſt. Quin *de ideis* omnibus, rebuſque *relativis* ea recte, ut diximus (§.17.), judicandi præcepta ſunt, ut prius nempe ad ſe mutuo apta collatione referantur.

§. LXXXV. Monitum ſextum: *Præcavendum ſummo ſtudio, ne ullibi in phanatiſmum ruatur.* Eſt porro *phanatiſmus* vehemens phantaſiæ ſive imaginationis inflammatio ac perturbatio, qua in quibuſdam magni momenti rebus, præſertim ad religionem pertinentibus, excitatis nonnullis imaginibus, vividiſſimiſque *idolis*, *vera* illa ac *realia* credimus, videreque proinde nobis videmur, quod non videmus. Ejus ſcatebra, ſi recte conjicio, inde eſt, quod aut aliorum dictis plus æquo credamus; aut quod nimium amemus noſtra, præſertim ſi nova, ſi pulcra, ſi jucunda, ſi rata, ac præſtantia nobis videantur. Ea quippe larvarum origo: ea ſpirituum mortuorum hominibus adparentium: ea plurium de-

denique illusoriarum adparitionum semellis creditarum, & jactatarum. Facilius est autem abstracta & intelligibilia meditando in phanatismum ruere; quod vis imaginatrix magnas in his partes habeat; atque attentione ipsa mirum praeterea in modum incalescat. Inde *idola* illa, quae aut aliorum dictis nimis creduli, aut nimium amantes nostra, mirum in modum augemus, ac delirantes *vera* credimus, *sensibilia*, *realia*; quum non sint nisi *ficta*, & *adparentia*: ut illa delirantium, ut alia somniantium, ut omnia mentecaptorum. Praecavetur autem quamfacillime phanatismus omnis, si quae menti velut praesentia fiunt, ac *realia* videntur, rigido, pacato, atque ab omnibus affectibus libero examini subjiciantur: tum nihil tamquam *verum*, ac *reale* credatur, nisi argumentis plane indubiis atque perspicuis tale esse constiterit, quale videtur. Quod examen si iniri tunc aestuante imaginatione non potest; ineatur saltem postea ea sedata, ac pacatiore facta (*a*). §.

(a) Vide L. A. Muratorium in eximio opusculo, cui titulus: *Riflessioni sopra il buon gusto &c.* Par. I. cap. XI. Quum autem de *phanatismo* in meditationibus praecavendo sermonem heic instituerimus, monendi studiosi tirones, inter abnormes ipsius foetus *materialismum* in primis, *fatalismum*, ac *pantheismum* sive *spinozismum*, de quibus copiose Metaphysici, esse accensendos. Quum enim *recta ratio* tamquam immania errorum monstra atque portenta, religioni non minus, quam societati, hominisque ipsius ingenitae excellentiae ac dignitati tantopere infensa

§. LXXXVI. Monitum septimum : *Imperscrutabiles Dei fines in mundi regimine & æconomia non esse curiosius perscrutandos*. Mens quippe illa infinita, infiniteque intelligens infinitos proculdubio fines, infiniteque sapientes sibi præfigere potest in Mundi regimine & æconomia, qui humanæ intelligentiæ exilitati sint prorsus inaccessibiles, & impervii. Quare eos curiosius perscrutari, & superbissimum est, & otii plenum. Cuinam, quæso, ludibrio & cachinnis non subjiceremus ipsi muscam, aut for-

---

sensa & opposita eos damnet, atque refellat; cuinam causæ alteri tribuendos putabimus, nisi *imaginationi* sive *phantasiæ* supra modum æstuanti ac perturbatæ, vel ob immoderatam innovandi pruriginem; vel ob nimium erga nos nostraque amorem & existimationem; vel ob cordis ipsius corruptionem, vivendique licentiam; vel denique ob cœcam nefandorum alias hominum deliriis credulitatem? Sunt & alia id genus monstra, ut *deismus*, ut *epicureismus*, ut *idealismus*, ut cetera, in quæ *phanatici* simul perversique homines eisdem de causis turpiter lapsi sunt; quæque summo studio, summaque diligentia præcavere oportet in meditationibus ineundis. Illud autem præ ceteris admirandum stupendumque valde, quod quum obnormium hujusmodi humanitatis opprobriorum pudere nos nimium, ac tædere oporteret; præclara vicissim, & eximia inventa Incredulis ac Libertinis jactantur, ad quæ mores etiam exigendi sint, & conformandi! Adeo ne veri ac falsi, boni ac mali, turpis & honesti ideas involvimus, confusimus, immutavimus, deformavimus? Crederet ne id umquam vel Judæus apella? . . . .

formicam, si hominum consilia scrutari se, & comprehendere posse jactaret? Quam tamen proximior muscæ anima mentibus humanis est, quam hæ divinæ menti, & intelligentiæ infinitæ? Magnus philosophus, multoque sublimior theologus, cælestique præterea lumine afflatus erat Apostolus Paulus: nihilominus in ea œconomia aliquoties perscrutanda exclamare coactus est: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Itaque ut noscamus, quod omnia sancte, justeque gerantur, quæ in mundi regimine fieri observamus, sat *a priori* nosse erit, quod ea gerantur a Deo, cujus natura bonitas, cujus judicia æquitas, cujus sapientia ordo: nec quidquam inquirendum erit ultra. Alioquin audaciores, ac temerarii *scrutatores Majestatis* facti, *opprimemur a gloria*.

§. LXXXVII. Monitum octavum: *Vitandam ubique impietatem, ac superstitionem, puramque religionem ex animo percolendam*. Est porro *impietas* sive *atheismus* opinio, qua Deum minime existere blasphematur. Ad quam & *deismus* quoque spectat, & *epicureismus*, qua præcipue parte omnem *providentiam* e medio tollere conantur. *Superstitio* vero est religionis cultus vel ei exhibitus, cui non debetur; vel exhibitus quidem, cui debetur, ast forma, & ritibus cum ipsius natura maxime pugnantibus. Hujusmodi in primis est *idolorum cultus*; tamquam iis exhibitus, quibus non debetur.

betur. Tum cultus quoque vero quidem Deo præſtitus, aſt ritibus vel obſcœnis, vel mores hominum depravantibus, vel falſis cum opinionibus conjunctus: putando e. g. eſſe illum aut invidum, aut crudelem, aut noſtri indigum. *Vera* demum ac *pura religio* cultus eſt nedum Deo vivo ac vero exhibitus; ſed & ritibus etiam ac formis nedum mores hominum perficientibus, ſed & ipſiuſmet quoque Dei naturæ maxime conſentaneis, nec ullis falſis cum opinionibus permixtus, & copulatus. Hæc, inquam, errorum monſtra ubique devitanda: hæc religio pura & ſancta ſummo ſtudio, menteque caſta cuſtodienda, ac percolenda. Nam ſi eſt quidquam in humanis, diviniſque diſciplinis certi, manifeſti, & explorati; id proculdubio & Dei omnium conditoris, ac proviſoris, parentiſque amantiſſimi exiſtentia eſt; & purus, ſanctuſque religionis cultus ei tantum debitus, ac jure meritoque exhibendus. Adeo ut nedum ſceleſtiſſimi, ſed & maxime inſipientes & ignari habendi ſint illi, qui tam perſpicuis, tantique momenti veritatibus præfracte adverſantur: licet *atheos ex animo* nec extitiſſe umquam, nec exiſtere poſſe non dubitemus.

§. LXXXVIII. Monitum nonum: *Inquiſitiones, quæ ſuper revelatam religionem fortaſſe fiunt; oportere eſſe illas humiles, ab omni affectu liberas, ſupernoque Dei lumine indivulſe ſociatas & colluſtratas*. Principio oportet illas eſſe humiles. Id enim obſequii ac reverentiæ ab homine

exigit

exigit divinorum codicum, in quibus *revelata religio* continetur, auctor Deus. Id Dei verbum in illis exaratum. Id hominum gratitudo, qui Scripturis sanctis, tamquam *Epistolis e cælo missis*, ut Patrum formula utar, ad justitiam & sanctitatem instruuntur. Alioquin tamquam audaces ac profani inquisitores confundentur in superbia sua. *Scriptum est enim*, inquit Apostolus I. Corinth. 1: *Perdam sapientiam sapientium*, *& prudentiam prudentium reprobabo*, superbam scilicet, & inflatam. *Quia sapientia hujus mundi*, teste eodem Apostolo ibid. cap. 3, *inimica est Deo*.

§. LXXXIX. Tum necesse est, easdem inquisitiones esse ab omni affectu liberas. Secus enim non id, quod loquutus est Deus, sed quod ipsi volumus, ut sit loquutus, in divinis eloquiis legere nobis videbimur. Nam quæ volumus, facile fingimus: inde facilius credimus: postremoque difficilius tamquam falsa, & commentitia abjicimus. Quin ex præjudicatis opinionibus, cordeque corrupto *revelationis* examen instituendo, facillimum quoque fuerit ne tamquam Dei verbum quidem eam agnoscere; refellereque subinde illam ut hominum inventa, profanasque doctrinas. Id quod justo Dei judicio contigisse novimus *Deistis*, *Libertinis*, ceterisque audacioribus id genus hominibus; ne mores scilicet, vivendique rationem ex eadem sancte recteque componerent; ac ita ad interitum servarentur, ut, ni resipiscant, reipsa servantur, æterno supplicio puniendi.

§.

§. XC. Tandem esse debent eædem inquisitiones super *revelatam religionem* institutæ superiori Dei lumine collustratæ . Quum enim profunda nimis sint eloquia Domini , ac varios præterea in sensus flecti possint ; alterutrum proculdubio contingere oportebit ; aut nimirum ex illis futuri erimus , qui *videntes non vident , & intelligentes non intelligunt* ; aut (quod longe funestius) ex illis, qui germanum Scripturarum sensum pervertentes, impia ex illis dogmata , absurdasque ac falsas opiniones cum *hæreticis* ad suam ipsorum perditionem exhauriunt . Imitandi itaque ea in re Ecclesiæ Patres , in primis Hieronymus , qui divina Biblia non prius legenda ac meditanda aperiebat , quam ante Crucifixi imaginem in terram humillime provolutus esset , ac precibus ex imo corde profusis mentis illustrationem a Patre luminum exorasset . Immo (quod longe notabilius) ipsimet Prophetæ , licet divinitus afflati , novi luminis affluxum eumdem in finem a Deo postulabant . Quo spectat Davidis numquam memoria excidenda deprecatio illa : *Da mihi intellectum , & scrutabor legem tuam , & custodiam illam in toto corde meo .*

§. XCI. Monitum decimum atque postremum : *In metaphysicis inquisitionibus non esse diutius , aut perpetuo immorandum , sed redeundum per vices ad communia societatis commoda procuranda* . Prima enim lex hominibus lata lex est *laboris* , non perpetuæ meditationis . Hinc Democritus viris doctis merito re-

prehensus & irrisus; quia, quum colendæ telluri operam dare debuisset, de construenda vicissim tellure adsidue cogitabat. Tum homines in mutuum auxilium, mutuamque utilitatem fieri ac nasci nemo ignorat. Quamobrem ut plurimorum ipsi societatis bonorum participes quotidie reddimur; ita & gratitudinis, & incommutabiles justitiæ leges postulant, ut agendo, laborandoque eidem reciproce adjumento simus. Atque hanc exploratissimam, magnique momenti veritatem nemo melius animo intellexisse, & comprehendisse videtur sanctissimo parente Francisco, qui ut Fratribus, literarum studiis operam novantibus, rectam vivendi normam daret, ajebat illis *Opuscolor.* pag. 504. *Orac.* 3: *Tantum habet homo scientiæ, quantum operatur. Et tantum est religiosus bonus Orator, quantum ipse operatur. Arbor namque ex fructibus cognoscitur.* In quem locum, licet nonnihil immutatum, præclare L. A. Muratorius *Rifless.* *sopra il buon gusto* par. II. cap. postremo; *Non si sà*, inquit, *che S. Francesco d'Assisi passasse mai per un gran Letterato. Sembrami nondimeno, che egli più ne sapesse di moltissimi Letterati, allorchè disse, e col suo esempio comprovò quella sentenza, che io vorrei impressa nel cuor di noi tutti*: TANTUM SCIT HOMO, QUANTUM OPERATUR (a).

CA-

(a) Sunt & monita, sive animadversiones aliæ, quas præ oculis habere semper oportet in metaphy-

sicis

CAPUT IX.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum inquisitione per ratiocinia.

§. XCII. PRimus *rationis* usus in *metaphysicarum* veritatum investigatione est per vulgaria ratiocinia, quæ *directa* dicuntur (§. 56.), eaque sive *a priori* sive *a posteriori*,

---

sicis meditationibus ineundis. Eas tamen brevitatis gratia prætermisimus, principaliores tantum produxisse contenti, & utiliores. Verum binæ aliæ leviter saltem attingendæ ac delibandæ, quæ magni quoque momenti videntur, nec omnino prætereundæ. Harum prima est: *Interiorem mundi ordinem ac nexum non esse adeo fatalem ac necessarium, ut ne divinæ quidem subsit voluntati, & imperio*. Quum enim mechanicæ leges omnes, quibus is nexus & ordo regitur, a Deo liberrimo rerum omnium opifice rebus ipsis adsertæ, tributæ, ac velut infixæ, & communicatæ sint; suspendere consequenter illas, moderari, destruere etiam, ac immutare poterit, ubicumque, quandocumque, & quomodocumque sibi placuerit. Hinc si in prima rerum adspectabilium formatione *statuit mari terminum suum, & legem posuit aquis, ne transirent fines suos*; nihilominus diluvii tempore, ut humanum genus vitiis ubique corruptum atque fœdatum justa punitione necaret, ea lege suspensa, aquæ statis sibi finibus abruptis ac prætergressis, exundarunt, operueruntque universam su-

steriori, sive *simplicia*, sive *composita*. Ho-

rum

---

superficiem terræ. Item si præcepit soli, ut in sua orbita constanter moveretur, atque *in circuitu pergens, lustransque universa in circulos suos reverteretur*; tamen ut de Gabaonitis per servum suum Josue alcisceretur cruentissimo bello, ad plures horas stare illum jussit, stetitque medio cælo. Mitto ceteras nam solius pertinacis, maximeque refractarii est, liberum supra opus suum imperium ac moderamen in artifice non agnoscere. Atque hinc latissime nunc via sternitur ad *miraculorum*, effectuum scilicet supernaturalium ad hunc nexum & ordinem minime pertinentium, possibilitatem adversus Incredulos evincendam, ac demonstrandam. Qua de re plura a nobis dicta Tom. II. *Verit. resurrect. J. C.* heic recolenda.

Est & animadversio altera: *Phœnomena omnia, quæ usque in finem successive evolvuntur, ita a Deo affixa rerum ordini ac nexui censenda fore, ut iis præcise temporibus singula eveniant, quibus reipsa eveniunt; idque ob sapientissimos fines infinitæ ipsius intelligentiæ notos*. Constant partes singulæ. Prima. Est enim Deus universi auctor; ideoque rerum nedum permanentium, quales sunt substantiæ, sed & successivarum, qualia sunt phœnomena, effectus scilicet ac mutationes omnes, quæ in illo contingunt. Ea igitur rerum nexui affixit, inseruitque. Quæ pars prior. Secunda. Phœnomena omnia, quæ huic nexui affixit, inseruit ea proculdubio evolvenda non casu, non tumultuarie, non fortuito, sed ordine ac serie sibi prævisa, atque decreta. Inseruit ea igitur successive evolvenda *iis præcise temporibus*, quibus reipsa eveniunt. Quæ pars secunda. Tertia. Agentia ratione prædita, quum agunt, *propter finem* agunt. Multo magis igitur infinita illa mens, infinitaque

nitaque

rum vis ac pondus tale tantumque eſt, ut ſi

---

nitaque intelligentia pollens, ob ſapientiſſimos fines agit, quæcumque agit. Iis igitur *præciſe* temporibus, quibus jam eveniunt, phœnomena univerſa evolvenda decrevit ob ſapientiſſimos fines ipſius intelligentiæ notos. Quæ pars poſtrema. Sed hæc nimis generica & abſtracta, aptandaque proindè exemplo alicui portentoſiori, quo tironibus ſenſibiliora reddantur, & clariora. Sitque illud horribilis *terræmotus*, qui quinque ab hinc annis tantopere heic nos perterruit, exagitavitque: cui ſubſtitui pro opportunitate poterunt famis., peſtis, incendia, alluviones, cetera. Ea igitur *terræ concuſſio* affixa jam primitus, inſertaque a Deo fuit interiori nexui ac ſtructuræ telluris, ex cavitatibus, mineralibus, ignibus, aquis, ſolidis, ac fluidis ceteris compactæ (ex par. 1.); ut eodem *præciſe* tempore fieret, quo jam evenit (ex par. 2.); idque ob ſapientiſſimos fines ſibi notos (ex par. 3.). Quinam autem fines iſti? Quantum generatim conjicere poſſumus, ſunt, ut alios ſcilicet, quos vitæ reſervavit, a peccatis avocaret *ex miſericordia*; alios, quos horribili ſtrage interemit, *ex juſtitia* puniret. Nam ſub Deo juſto nemo quidquam patitur, niſi prius mereatur. Hæc mere philoſophica, & *ex naturali ratione*, *recta* nimirum ac *pura* deducta: quæ *revelatio* mirum poſtea in modum cônfirmat, dum flagella omnia Deo iraſcenti & ulciſcenti immediate attribuit. Ut adeo nec Philoſophum eſſe oporteat, nec Theologum, qui in dubium ea vertere audeat. Quin & plane ſtupidi, aut perverſi, & obcœcati cenſendi ſunt illi, qui harum *concuſſionum* tempore minime concutiuntur, nec Deum *per pœnitentiam* ſibi propitium reddunt, interea dum colles, ſaxa, montes illius iram, ac vindictam perſentiunt, & contremiſcunt.

ea recte constructa & conformata fuerint, inventam veritatem velut digito commonstrent: nec fieri ullo modo poterit, ut in veri a falso discrimine nos aliquando decipiant. Si enim duæ illæ *extremæ ideæ* (§.52.) reipsa, nec adparenter tantum, cum *media* conveniant; tam possibile erit, secum invicem minime illas convenire, quam est possibile, ut, *quæ cum tertio conveniunt*, *non conveniant inter se*. Quod equidem impossibile. Alioquin convenirent simul, & non convenirent cum eadem *media idea*: haberent scilicet eamdem *notam*, quam ipsa habet, & per quam cum eadem conveniunt, ex hypothesi, & non haberent; quia secus inter sese mutuo etiam in eadem *nota* convenirent. Ideoque esset simul quidquam, & non esset: quod *per principium contradictionis* repugnans est & impossibile: quia *nulla res constare potest ex iis, quæ sese mutuo destruunt*.

§. XCIII. Opponit ad hæc summus scepticorum patronus & coriphæus Bayle mysterium Trinitatis, in quo tres Personæ conveniunt cum divina natura; quia ex doctrina fidei *Deus est Pater*, *Deus Filius*, *Deus Spiritus Sanctus*; at non conveniunt, inquit, inter se; quia *alia est persona Patris*, *alia Filii*, *alia Spiritus Sancti*.

§. XCIV. At inepte, neque ut quidquam adversus exioma illud statuat, sed ut idem potius Trinitatis mysterium impius, nulliusque fidei homo evertat. Nam sacrilegos & audaciores

ejus

ejus conatus adversus christianam Religionem, quibus impium *Dictionarium* ejus *historico-criticum* scatet universum, plane novimus. Inepte, inquam. Quia trium Personarum convenientia cum divina natura non est penes *hyposteses*, sed penes naturam ipsam, quatenus ea singulis inest: atque in eadem natura hoc sensu inter se quoque conveniunt: quia *Deus est Pater*, *Deus Filius*, *Deus Spiritus Sanctus*. Ita & productum axioma verum est, & Trinitatis mysterio maxime consentaneum, nec ullo modo adversum.

§. XCV. Ut ejusdem ratiocinii vim elidat, opponit hæc alia scepticus auctor Opusculi sæpe citati *de imbecillitate mentis humanæ*. Inquit: Nullum ratiocinium constare potest absque *enunciatione universali*, in qua conclusio contineatur; quamquam implicite ea sæpe tantum subintelligatur, nec enuncietur semper explicite, ut in *enthymemate*. Quare in omni ratiocinio particularis enunciatio probatur per universalem. Ast universalium veritas non constat nisi ex *inductione*, ac veritate particularium. Itaque concludit: in omni ratiocinio *probatur idem per idem*, admittiturque *circulus vitiosus* (§. 71.): proindeque nihil probatur.

§. XCVI. Respondet Muratorius in opposito Opusculo *de viribus intellectus humani*, propositionem universalem pendere quidem ex veritate particularium; at quum ea in ratiocinii *antecedente* adsumitur, non comprehendi in eadem enunciationem particularem, quæ per

eamdem probatur, & in conclusione deducitur; licet ceteræ particulares omnes comprehendi intelligantur. Quare ratiocinium ita constructum immune est a vitio *dialleli*, sive *circuli vitiosi*. Ita fere vir clarissimus. Verum firmior solutio mihi videtur hæc alia, si dicatur, universalium enunciationum veritatem, quæ *contingentes* tantum fuerint, pendere ex enumeratione particularium, non item quæ *necessariæ* dicuntur (§. 32.). Harum namque veritas ex *nexu* ipso arctissimo, ac indivisibili pendet attributi cum subjecto; quo *nexu* fit, ut quemadmodum idem attributum a subjecto inseparabile est, ita quidquid subjecti naturam & essentiam præfert, eidem insit, oporteat, ipsummet prædicatum. Ita quo sciam, *in omni circulo radios omnes esse inter se æquales*, nulla circulorum possibilium & existentium enumeratione opus est; quum id simpliciori via scire possim, ad solam circuli naturam, a qua ea radiorum omnium æqualitas inseparabilis est, ac fluit, oculum attentionemque intendendo. Quare quum alia via constet universalium enunciationum veritas, alia in ratiocinio probetur veritas particularium; nullus consequenter inter ratiocinandum *circulus* committitur *vitiosius*: ac firma proinde remanet ratiocinii vis rite constructi.

§. XCVII. Haud itaque dubitandum, quin firmissima semper sit ratiociniorum vis, ubi rite ea fuerint, legitimeque constructa. Quare adnitendum potius, ut rite construantur: ut antecedentes

dentes scilicet enunciationes veræ sint, & consequens legitime ex illis deducatur. Qua de re dictum suo loco (§. 54.). Veræ autem enunciationes, quæ sint *primæ veritates*, *primaque cognita*, ac velut ceterarum semina, & elementa prima, tribus ex fontibus in nos derivantur: 1. *sensuum experientia*: 2. *immediata mentis intuitione*: 3. *sensu intimo*. Quibus 4. loco accedunt *veritates derivativæ*, quæ aliunde nimirum firmatæ prius, ac demonstratæ fuerunt. Ex his *ratiocinii* ope intelligibiles & abstractæ veritates inquiri & inveniri possunt longa serie. Magnum autem artificium in eo constitutum, ut, eisdem *primitivis*, aut *derivativis* veritatibus positis, seria attentione observetur, quibusnam cum rebus, rerumque *notis* eæ relationem habent, atque cum illis conferantur. Nam facillimum tunc fuerit novas veritates, ac longa serie ratiocinando detegere. Exemplis rem totam illustremus.

§. XCVIII. Principio sit primitiva veritas isthæc *sensuum experientia* parta: *Corpora perpetuis vicissitudinibus sunt obnoxia*. Confero illam cum *notis* entis immutabilis, cum quo relationem habet; atque ratiocinii ope veritatem *derivativam* invenio, *corpora* scilicet *non esse immutabilia*, in hunc modum: *Immutabilia non sunt vicissitudinibus obnoxia* (quæ *nota* entis immutabilis). *Corpora autem sunt perpetuis vicissitudinibus obnoxia* (quæ veritas primitiva sensuum experientia parta). *Corpora igitur non sunt entia immutabilia* (quæ prima

ac

ac nova veritas derivativa). Tum vero eamdem veritatem de novo inventam confero cum notis entis *neceſſarii*, atque ope ſecundi ratiocinii detego, *corpora non eſſe entia neceſſaria*, hoc modo: *Ens neceſſarium eſt ens immutabile* (quæ *nota* entis neceſſarii). *Corpora non ſunt immutabilia* (quæ prima veritas derivativa inventa). *Corpora igitur non ſunt entia neceſſaria* (quæ ſecunda veritas derivativa). Pergo ulterius, atque ſecundam hanc veritatem cum *notis* confero entis *æterni*, opeque tertii ratiocinii invenio tertiam, hac methodo: *Ens æternum eſt ens neceſſarium* (quæ *nota* entis æterni). *Corpora non ſunt entia neceſſaria* (quæ ſecunda veritas inventa). *Corpora igitur non ſunt æterna* (quæ tertia veritas derivativa): & ita porro.

§. XCIX. Eodem rationis artificio, eodemque ordine facillimum quoque fuerit ex veritatibus aliis *primitivis*, ſive *immediata mentis intuitione* cognitis; cujuſmodi ſunt *axiomata* omnia; ſive *ſenſu intimo*, ut *eſſe nos*, *vivere*, *cogitare*, longas novarum veritatum ſeries invenire. Harum exempla brevitatis gratia prætereo. Nam tironibus ingenioſis, atque ardentiori addiſcendi ſtudio & cupiditate flagrantibus ſat digito fontem demonſtraſſe fuerit; ut fecimus. Quamobrem ii monendi tantum, ne in novarum veritatum feriis *ope ratiocinii* evolvendis & contexendis aliqua ullibi enunciatio aut falſa, aut anceps intejiciatur; neve per vim, ac reluctante natura concluſio aliqua deducatur. Alioquin

quin subsequens seriei pars, quantumvis in longum protensa, pulcherrimeque contexta, mole sua collabetur, tamquam ruentibus, nec satis firmis fundamentis superstructa.

CAPUT X.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum inquisitione per analysim.

§. C. M*Ethodus* generatim est ars idearum, cogitationumque nostrarum ordinatrix, ut, quoad per humanæ mentis imbecillitatem fieri potest, nihil in iis sit obscuri, nihil perturbati, nihil confusi. Quantum ea viro in primis docto, ac philosopho necessaria sit, dictum Lib. priore (§. *95.*): ubi & præcipua quoque præcepta ejus, ad quorum normam componenda, tradidimus (§. *96.*). Ceterum eamdem quoque spectant Libri hujus caput VII. & VIII. tum pleraque alia pro opportunitate in locis aliis adjecta.

§. CI. Dividunt porro methodum in *analyticam*, & *syntheticam*. Quod factum bene. Verum quum in utraque expendenda secum invicem Logici pugnant e diametro, id emendatione eget, veræque commentationis substitutione. Equidem sunt, qui *analysim* ad veri inquisitionem, *synthesim* ad docendi munus spectare contendunt. Alii contra quæ docentur, *ana-*

analytice doceri volunt ; quæ autem inquiruntur, *ſynthetice* perveſtigari. Nec ea tantum ſcribendi pugna. Nam quæ uni *analyſis* definitio eſt, alteri eſt *ſyntheſis*, & viciſſim. Ita quum de methodo *cogitationum ordinatrice* philoſophantur, cogitationes ipſas, germanam methodi naturam ſpectantes, immaniter perturbant, & involvunt. Adeo ut *methodi methodo* (nam quis temperet a ſalibus ?) opus ſit, quo perturbata *methodi* notio, ut oportet, evolvatur ! . . . .

§. CII. Porro ego ſic ſtatuo. Primum, nihil vetare, quominus eadem methodo, qua quidpiam inventum ac detectum fuerit, eadem edoceatur. Nam ſi data via, nulloque duce occulta veritas cognita inquiſitori fuit ; eccur non eadem via, ipſoque poſtmodum inventore duce, eadem veritas jam detecta & cognita tradi poterit & auditori ? Duci igitur commodiſſime auditores in docendo poterunt eodem itinere, quod ipſi preſſimus inveſtigando ; modo tamen ea reſecentur, quæ tentando, ſcrutandoque neceſſaria quidem fuerant, nunc docendo ſuperflua. Qua de cauſa factum eſt, ut Logicam definiendo (Lib. I. §. *6.*), *artem* adpellaverimus *inquirendæ* tantum, non item & *docendæ veritatis*. Deinde utramque & ad docendum, & ad inveſtigandum pro rerum indole atque natura eſſe aptiſſimam ; nec neceſſe fore, ut interjecto divortio altera ſecernatur ab altera. Quinimmo tam inter docendum, quam inter inveſtigandum caſus perſæpe incidunt plures,

in

in quibus ab *analysi* transeundum sit ad *synthesim*, & vicissim: adeo ut neutra utrique muneri obeundo se sola plerumque sufficiat. Tandem veram ac germanam utriusque notionem a vocabulis ipsis *analysis*, ac *synthesis* esse desumendam; ne alia sit vis nominis, alia rei. His præobservatis, ad rem.

§. CIII. *Analysis* græce, ac *resolutio* latine unum idemque sonant, quemadmodum *synthesis* & *compositio*: de qua capite sequenti. Quum autem id, quod resolvitur, magis conplexum esse oporteat iis, in quæ resolvitur; hinc erit *analysis* inquisitionis quoddam genus, quo a generali cognitione compositi ad specialem intelligentiam & examen partium componentium sensim sensimque progredimur.

§. CIV. Porro *compositum* quum heic dicimus, id omne generatim intelligimus, quod plura in se complectitur, a quibus determinatur: quemadmodum & *partium* nomine ea, quæ complectitur, & quæ illud determinant. Hinc 1. *composita* sunt sensibilia corpora respectu partium componentium, & a se mutuo separabilium: nisi quod horum *analysis* manu fieri debeat, actione mechanica, arte chymica: sitque proinde Chymicorum propria, ad quos simplicium elementorum investigatio spectat, quibus *mixta* sive etherogenea corpora componuntur. 2. *Composita* etiam *physica* sunt eorumdem corporum naturæ & essentiæ ex relatione ad *notas* earum *physicas* atque sensibiles, easque tam *constantes*, quam *variabiles*, quas complectuntur; quarumque

rumque *analysis* pertinet ad Physicos, tamquam ea quæ observando, experiundoque sensuum ministerio iniri debeat. 3. *Composita* similiter *genera* omnia, ac *species* ex suis respective *notis* intelligibilibus & abstractis, ac relationibus præterea innumeris, quas præseferunt; quorum *analysis* solius *rationis* est, & ad Metaphysicos pertinens. Sed & *tota* demum 4. & *composita* intelligibilia & abstracta, ideoque *metaphysica* sunt veritates, sive enunciationes omnes generales, quæ plures alias sub se particulares tamquam *partes* complectuntur. Quamquam harum aliqua per sese, ut axiomata, perspicua sint, nec ulla egeant demonstratione; nihilominus quia multo majora sunt, quæ demonstrare oportet, ut earum veritas nobis perspecta fiat; ea de causa *tota*, sive *composita demonstrabilia*, aut *per demonstrationem* communi vocabulo adpellari possunt. Horum compositorum analysis & examen nedum ad Metaphysicos pertinet, sed & præcipue quoque a nobis spectatur utroque capite isto X. & XI. Sunt ea etiam magis minusque composita nedum pro majori minorique numero veritatum, quas complectuntur; sed & pro majori etiam minorique numero principiorum, ex quorum concatenatione mutua demonstrantur. Nam quo principia ista numero majora fuerint, eo *tota* ipsa *demonstrabilia* implicatiora, intellectuque difficiliora cernuntur; minus autem involuta, minusque intellectu difficilia, quo fuerint numero minora. Sat secum invicem contulisse fuerit

priora

priora Geometrarum theoremata cum posterioribus. Interim pergamus.

§. CV. Jamvero ut physica illa & compositorum sensibilium, ita & hæc metaphysica & intelligibiium *analysis* sive resolutio novarum veritatum intelligibilium detegendarum feracissima est. Composita namque in suas partes resolvendo, tum partes singulas seorsum, diligenter, ac meditate examinando, facillimum fuerit in plenam earum intelligentiam devenire; atque nedum totidem novas veritates detegere, quot sunt partes ipsæ, verum & multo plures, juxta numerum aliarum *notarum*, quas ipsæ complectuntur; atque pro multiplici etiam relationum numero, quas ad res alias singulæ habere intelliguntur. Exemplum, quin extranea adsciscam, heic habent tirones in his elementis, prout sequitur.

§. CVI. Siquidem posita tamquam *toti* sive *compositi* cujusdam *demonstrabilis* notione Logicæ, esse nempe illam *artem inquirendæ veritatis*, veritatem ipsam in tres classes primum resolvimus, *physicam*, *metaphysicam*, *historicam*. Deinde singularum *notis* diligenter enucleatis, totidem illas perscrutandi, & adsequendi media deteximus, *sensuum experientiam*, *mentis rationem*, & *auctoritatem* ad Criticæ leges exactam. Postac quum *artem* omnem datis quibusdam regulis regendam observaremus, eas deligendas curavimus, ac suis respective locis pro opportunitate stabilivimus. Tandem rebus quibusvis aliis, quæ cum his relationem

ha-

haberent, eaque colluſtrare, aut firmare, aut etiam exornare poſſent, undique conquiſitis, in plenam, ac diſtinctam elementorum, quæ Logica complectitur, cognitionem, prout heic exarata vides, ſenſim ſenſimque *analyzando* devenimus.

§. CVII. Quo autem humana *ratio* promptius, & expeditius *analyſim* inſtituere poſſit, ad hæc potiſſimum præcepta oculum, attentionemque convertat. I. *Toti*, ſive *compoſiti analyzandi* diviſio juxta regulas alibi (Lib.I. §.94.) traditas fiat. II. Vocabula aut obſcura, aut ambigua ubicumque ſeſe offerent, ex legibus ibidem (Lib. I. §. 91.) traditis adcurate definiat, ne in ancipiti laboret. III. Inquiſitionem omnem, reſolutione facta, ab ea parte incipiat, quæ ceteris præbere lucem poteſt. IV. Quæcumque cum eodem *compoſito*, aut cum illius partibus relationem habent, undecumque adſciſcat, attenteque cum eiſdem conferat. V. Quæ vero ad ſcopum minime conducunt, aut illi etiam adſequendo oneri ſunt & impedimento, tamquam ſupervacanea ac noxia reſecet prorſus, & abjiciat. VI. Inventas ſenſim ſenſimque veritates, prout naturalis earum ordo, nexuſque poſtulat, in aptam ſeriem diſponat. VII. Si hypotheſibus alicubi opus fuerit, eas ultro confingat, verum non ut retineat ſemper, ſed ut *reales* veritates ſic multifariam tentando e tenebris fortaſſe eruat. VII. Ratiocinia, quæ ad res pro opportunitate firmandas perſæpe inter *analyzandum* adhibentur, vera ſint, firma, le-

legitimeque constructa . IX. Corollaria ad rem spectantia undecumque , quum fieri poterit , deducat , aptoque in loco in eadem serie collocet . X. Utatur etiam , quum opus fuerit , scholiis ; ut prima inquisitionis lux ad finem usque constanter perseveret . XI. Quod si post *analyticum* examen , ob rei difficultatem , nihil fortasse novi detexisse contigerit ; sublimioribus eam ingeniis evolvendam committat ; ac interim inter ignotas , & arcanas reponat .

§. CVIII. *Analysis* his præsidiis munita , si sæpe alias , in condendis præcipue *Operibus* maxime necessaria est . Quum enim in obscurum, & incertum duci calamus nulla ratione possit, præsertim apte & ordinate : necesse ob id omnino erit , ut integrum pertractandum evolvendumque argumentum (quod *toti* instar spectandum *demonstrabilis*) in majores primum partes resolvatur , quæ erunt velut totidem ejusdem Operis libri . Deinde libri singuli in totidem capita , ac singula capita in totidem paragraphos , tamquam in simplicia elementa prima , *summaria* velut distinctione partienda . Ea *analysi* instituta , libri cum libris , cum capitibus capita , ac paragraphi cum paragraphis conferenda ; ut inde palam fiat , quæ præbere aliis lucem possint , quæ recipere : quæque fundamenti loco præmittenda sint , quæ illis superstruenda . Qua diligenti comparatione facta, omnia juxta naturalem nexum , quo sibi mutuo devinciuntur , ac alia aliis velut invitante natura succedunt , in ordinem , aptamque se-

riem collocentur .. Quibus in hunc modum compositis, habebitur velut totius *Operis* forma, compendium, epilogus, & *index*, in successiva illius constructione ob oculos perpetuo habendus, tamquam scientifici moliminis, itinerisque dux, norma, & comes. Postac a prioribus paragraphis ducto initio, construendi singuli, firmandi, explanandi, perpoliendi, ac pulcrioribus eruditionum fragmentis pro opportunitate exornandi. Ita integrum totius Operis corpus numeris omnibus absolutum habebitur. Verum id genus Opera magnorum ingeniorum, itemque patientissimorum, atque annosis præterea studiis plane subactorum labores esse debent. Alioquin in confusa, & abnormia *miscellanea*, massamque rudem, indigestam, & informem abibunt, magno cum lectoris tædio, & Auctoris dehonestamento.

CAPUT XI.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum investigatione per synthesim.

§. CIX. Altera *methodi* generatim pars, quemadmodum mox innuimus (§. 101.), est *synthesis* sive *compositio*. Ea proinde in veri investigatione, & adsecutione utimur, quum a *partibus* jam cognitis ad *compositi*, sive *toti*, quod in tenebris adhuc latet, in-

intelligentiam velut *componendo* adſurgimus. Ubi & *compoſiti*, & *partium componentium* notiones eædem heic nobis ſunt, quæ ſuperius (§. 104.) traditæ, evolutæque fuere. Atque ut ibi *analyſis*, ita & heic *ſyntheſis* in partibus a ſe invicem ſeparabilibus Chymicis remittenda: quemadmodum & *Phyſicis* quæ *ſyntheſis* inſtituitur in *notis* corporum *ſenſibilibus*, & organa moventibus.

§. CX. Si *analyſis* ac *ſyntheſis* invicem conferantur, non ſine animi oblectamento obſervabitur, prioris terminos initia eſſe poſterioris: adeo ut ubi illa deſinit, hæc incipiat, ac ubi deſinit iſta, illa initium ducat. Nam illa a *compoſito* fluit ad partes componentes; hæc a partibus ad *compoſitum* inverſo ordine regreditur. Quin & deſcendere eundo illa videtur; hæc viciſſim redeundo conſcendere, & elevari. Unde pulcre quibuſdam dictum, inquiſitionem *analyticam* a toto ad partes ſpectandam velut deſcenſum e montis vertice ad imam vallem: *ſyntheticam* viciſſim a partibus ad totum velut ab ima valle ad jugum montis aſcenſum.

§. CXI. Si utilis quoque eſt *ſynthetica* methodus veritatibus perquirendis ac detegendis, ſive phyſicæ ſint illæ ac ſenſibiles, ſive metaphyſicæ & intelligibiles; non æque tamen, ſi recte conjicio, ac *analytica*. Plerumque enim fit, ut ſola partium, *notarumque* intelligentia compoſita ſimul ipſa abſque novi examinis præſidio intelligantur: ac ſi quid occulti ſupererit perſcrutandum, *notas* tantummodo id ſpectabit,

quæ ex earumdem partium conjunctione, viriumque attemperatione mutua de novo in composito oriuntur. Ita si corporis, animique proprietates perspectæ mihi fuerint & exploratæ; compositum ex utriusque conjunctione resultans eo ipso hominem esse dignosco. Ac si qui circa illum *syntheticæ* investigationi locus superesit, *notas* tantummodo spectabit, quæ ex corporis mentisque conjunctione, & commercio promanant. Ut proinde quum partium cognitio *analytico* debeatur examini, atque ex ea *compositi* intelligentia fere integra semet subsequatur: hinc & ejusdem quoque cognitio eidem *analysi* videtur adscribenda.

§. CXII. Atque hæc quidem de iis compositis dicta volo, quorum partes aut substantiales sunt, & a se mutuo separabiles, aut in *notis* sive sensibilibus, sive intelligibilibus consistunt; per quas eorum natura & essentia determinatur. Enimvero ubi *compositi* nomine universales veritates, *tota*, inquam, *demonstrabilia* (§. 104.) intelliguntur; dubitari non potest, quin hoc in casu post minus complexarum intelligentiam, multum sit *synthetice* nobis adlaborandum, ut compositiores aliæ ex illis eruantur. Compositior veritas, quæ in triangulo rectangulo æqualitatem spectat quadrati super hypotenusam cum summa duorum quadratorum super reliqua latera, diu Pythagoræ ignota fuit; licet minus complexæ veritates, ex quibus tamquam partibus intelligitur, ac *synthetice* demonstratur, plane perspectæ seorsum illi essent, & exploratæ. §.

§. CXIII. In his igitur compositorum generibus *synthetice* perveſtigandis & utilitas erit plurima, & labor non exiguus. Quo autem a ſimpliciorum hujuſmodi veritatum intelligentia in magis complexarum cognitionem deveniamus, conferendæ invicem ex omni adſpectu eæ quamdiligentiſſime ſunt, atque quidnam ex comparationibus ſingulis conſequitur, acute, attenteque pervidendum. Ac ſi in prioribus comparationibus nihil fortaſſe novi adfulſerit; iterandæ eæ denuo, ac ſæpiſſime, atque nunc quidem binæ, nunc tres, nunc plures, nunc pauciores veritates in mutuam collationem adducendæ. Plerumque enim fit, ut duæ tantum ſimpliciores veritates, quavis ex parte conferantur, novæ, magiſque compoſitæ pervidendæ ac intelligendæ non ſufficiant: tum pares ſufficienteſque reddantur, ſtatim ac in mutuam collationem adſcita fuerit tertia, quarta, quinta, & ita porro. Ita collatis invicem duabus his ſimplicioribus veritatibus, 1. *mentem carere in agendo neceſſitate interna*: 2. *& externa*; nondum plane intelligo eſſe illam *arbitrii libertate* præditam; quæ veritas eſt magis compoſita. Intelligo id vero, ſtatim ac in mutuam comparationem adſciſcam hanc tertiam, *agere ſimul ipſam prævia rationis conſultatione, atque ex ſolis motivis boni vel mali ſibi propriis ad agendum determinari*. Id, inquam, intelligo *ſynthetice* aſcendendo velut a partibus ad *totum* ſive *compoſitum* in hunc modum: *Mens humana in agendo caret 1. neceſſitate interna, 2. &*

 ex-

externa , 3. *agit prævia rationis consultatione* , *atque ex motivis boni vel mali sibi propriis* . *Quod autem ita agit* , *liberum est libertate arbitrii* . *Mens igitur libera est libertate arbitrii.*

§. CXIV. Canones demum sive præcepta, quibus *synthetica inquisitio* regenda, eadem, magna saltem ex parte, mihi esse videntur, quæ pro inquisitione *analytica* superius (§.107.) recensuimus. Ut proinde supervacaneum sit nova condere, & enarrare (a). Illud potius non omittendum silentio, veritates *synthetice* inventas, si cum aliis diligenter serioque conferantur, media esse posse novis semper ac novis in infinitum veritatibus magis compositis pervestigandis, ac detegendis. Nam ea est *compositorum* conditio, ut quod respectu datarum partium *totum* est inferius descendendo; tum ascendendo superius pars quodammodo evadat alterius

(a) In demonstratione *synthetica* construenda præteriri ex æquo geometrica enunciationum nomina possunt, quæ superiori Cap. IV. (§. 38. seq.) explicavimus, & distincte etiam pro opportunitate adhiberi. Utroque in casu ordo servandus is erit. I. Titulus præfigendus rei, de qua agitur, verbis quam perspicuis. II. Subjiciendæ *definitiones*, quarum est opus. III. Juxta notiones in definitionibus traditas aperiendus germanus quæstionis status jam propositæ. IV. Si quæstio in sententiarum varietate sita sit, earum e vestigio historia contexenda. V. Juxta variam argumenti indolem atque naturam, proponenda *experimenta*, *observationes*, *axiomata*, *postulata*, &, si opus, etiam *hypotheses*. VI. Tum progrediundum

rius amplioris , magisque compositi . Theoremata in primis Geometrarum rei hujus exempla suppeditabunt magna copia , quorum quæ *tota* , scilicet *demonstrabilia* , sunt respectu præcedentium , ex quorum concatenatione mutua demonstrantur , in *partes* posthac degenerant respectu theorematum subsequentium , in quorum demonstrationem cum aliis adsumuntur , & conglobantur .

---

dum ad *lemmata*. VII. Lemmatis rite demonstratis, proponenda *thoremata* , atque ex præmissorum concatenatione principiorum demonstranda . VIII. *Corollaria* ad rem spectantia undecumque deducenda. IX. Ac ubivis etiam necesse fuerit , *scholia* adponenda . X. Graviores denique difficultates refellendæ . Sunt dissertationes plurimæ , ac integra etiam volumina quum philosophica tum etiam theologica ea methodo , quam & *syntheticam* , & *geometricam* , & *scientificam*, & *naturalem* etiam adpellant, pulcre, sapienterque contexta . Eam & ipsi quoque adhibuimus in *Dominicæ resurrectionis veritate* adversus Incredulos demonstranda , quam Tom. I. & II. si placet , vide.

CAPUT XII.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum investigatione per analogiam.

§. CXV. Analogia græce perinde est ac *similitudo* latine. Ea proinde utimur, quum id, quod dato generi convenit, ob naturæ similitudinem extendimus ad omnes generis ejusdem species; & quod convenit speciei, illius individuis ob similitudinem pariter naturæ aptamus. Prioris exemplum est: *Metallum est fusile* (quæ veritas generica). *Aurum igitur, argentum, stamnum, æs, plumbum, fusilia sunt* (quæ speciebus adplicatio). Posterioris: *Circulus radios omnes a centro ad peripheriam ductos æquales habet* (quæ veritas specifica). *Circuli igitur A. B. C. D. & ita porro, omnes hujusmodi radios habent æquales* (quæ individuis adplicatio). Quo autem *analogiæ* usus rite procedat, nec ulla subsit errandi occasio, triplici omnino regula regenda est, quarum prima quum generis, tum speciei, & individuorum naturam spectat, secunda, & tertia eorumdem *notas*, sive proprietates & attributa. Eæ autem sunt hujusmodi.

§. CXVI. *Analogiæ* regula prima: *Quum naturam generis species illius singulæ, tum speciei naturam singula illius individua complectantur.*

tur. Hinc præcedentia exempla rite procedunt; quia tam generica natura *metalli* in auro, argento, ſtamno, ære, plumbo, ceteriſque illius ſpeciebus adſervatur; quam ſpecifica natura *circuli* in illius individuis A. B. C. D. comprehenditur. Quod ſi ea conditio deſit, nullus erit *analogiæ* locus. Quare ridiculus plane & ineptus foret, qui *analogiam* ſic adhibere vellet: *Corpus fluidum eſt ſphæricis, vel quaſi ſphæricis particulis coagmentatum. Lapides igitur, herbæ, plantæ, ſphæricis vel quaſi ſphæricis particulis coagmentata ſunt*. Item: *Triangulum eſt trilaterum. Lineæ igitur A. B. C. D. trilateræ ſunt*. Ineptus, inquam: quia nec generica natura *fluidi* lapidibus, herbis, plantis ineſt; nec ſpecifica *trianguli* ulli convenit lineæ. Nam nec lapides, herbæ, plantæ fluidorum ſpecies ſunt; nec lineæ A. B. C. D. triangulorum individua.

§. CXVII. *Analogiæ* regula ſecunda. *Notæ generis, quæ ad ſpecies illius ſingulas, & ſpeciei notæ, quæ ad ſingula ejuſdem individua extenduntur, & adplicantur, tam cum generis, quam cum ſpeciei reſpective natura, & eſſentia ſint neceſſario, inſeparabiliterque connexæ*. Eſſe, inquam, oportet ex notis *conſtantibus* & *invariabilibus*; ne ſi *fortuitæ* ac *variabiles* fuerint, inſint quidem generi, ſed non ſpeciebus ſingulis; ac ſi ſpeciei, non ſingulis individuis, uti mox dicemus, inhæreant. Hinc quia *notæ extenſionis ſolidæ* conſtanter, ac neceſſario ineſt genericæ naturæ corporis; omnibus corporum

ſpe-

ſpeciebus aptari poteſt. Similiter & nota *ductilitatis* omnibus auri maſſis aptari poterit; quia ſpecificæ naturæ auri neceſſario, & inſeparabiliter inhæret. Quare vi hujuſce regulæ ſic *analogice* progredi licebit: *Extenſio ſolida neceſſario, & inſeparabiliter ineſt genericæ naturæ corporis. Omnes igitur corporum ſpecies extenſa ſolida ſunt.* Item: *Ductilitas neceſſario, & inſeparabiliter ineſt ſpecificæ naturæ auri. Singulæ igitur auri maſſæ ductiles ſunt.* Ex quibus univerſalium propoſitionum omnium *neceſſariarum*, tam quæ *genericæ*, quam quæ *ſpecificæ* adpellantur, vis tota pendet, & origo. Pendent nimirum illæ quidem ex eo, quod *nota generis*, quæ ad ſingulas ſpecies univerſali enunciatione extenditur, eidem generi neceſſario, & indivulſe conveniat: ut in priori exemplo. Hæ autem, quia *ſpeciei nota*, quæ univerſali quoque enunciatione omnibus aptatur individuis, eidem ſpeciei indivulſe pariter inſit, ac neceſſario: ut in exemplo poſteriore.

§. CXVIII. *Analogiæ* regula tertia. *Nec fortuitæ notæ generis ad ſpecies ſingulas, nec fortuitæ ſpeciei notæ ad ſingula individua extendantur abſque prævia, perfectaque quum ſpecierum, tum individuorum inductione.* Hujuſmodi enim notæ contingentes ac variabiles, licet inſint generi, poſſunt tamen a quibuſdam illius ſpeciebus abeſſe; ac abeſſe quoque poſſunt a quibuſdam individuis, quamquam illorum ſpeciei inhæreant. Hinc quia nota *ſpatii una linea in ſe redeunte circumſcripti* fortuito tan-

tum

tum convenit genericæ naturæ *figura*; quum servari ea facillime possit in spatio tribus, quatuor, quinque lineis comprehenso; nonnisi errando ad singulas figurarum species absque perfecta inductione extenderetur. Similiter errando etiam extenderetur nota *æqualitatis trium laterum* ad singula triangulorum individua absque prævia, perfectaque eorumdem inductione; quia fortuito tantum ea quoque convenit specificæ naturæ trianguli. Nam & *isoscelia*, & *scalena* adhuc vera triangula sunt, licet illa duo tantum latera æqualia habeant, hæc omnia inter se inæqualia. Hinc intelligitur, cur universales propositiones *contingentes*, sive *genericæ* illæ fuerint sive *specificæ*, efformari nequeant sine prævia inductione, perfectaque partium enumeratione. Quia scilicet *fortuitæ notæ generis* a speciebus, ac *fortuitæ notæ speciei* ab illius individuis abesse possunt, absuntque sæpissime. Conferantur heic, & in præcedenti paragrapho alibi (§. 96.) dicta.

§. CXIX. Atque ad hos fortasse canones oculum, attentionemque intendens eques Newton, circumterrestrium corporum *notas* ad cælestia quoque extendit, aptavitque celebri regula illa: *Qualitates corporum, quæ intendi nequeunt, neque remitti; quæque corporibus omnibus insunt, in quibus experimenta instituere licet; pro qualitatibus corporum universorum habendæ sunt.* Quandoquidem id genus *qualitates*, sive *notæ*, de quibus loquitur, *constantes*, & *invariabiles* sunt juxta regulam secundam (§. 117.). Quæ

enim

enim corporum *notæ intendi nequeunt*, *neque remitti*, eædem semper sunt, & invariabiles; atque necessario insunt, quibus insunt. Ideoque a genere ad species singulas, & a specie ad singula individua extendi, & adplicari possunt. Secus ac illis contigit, quæ varios *intensitatis*, ac *remissionis* gradus admittentes, inconstantes ac variabiles eo ipso sunt, atque interitui, & in alias quoque commutationi obnoxiæ: quemadmodum de coloribus, odoribus, saporibus, calore item, frigore, similibus, exploratum est: quæque proinde a genere ad species singulas, & a specie ad singula individua citra *perfectam inductionem* extendi juxta regulam tertiam (§. præc.), & aptari nequeunt.

§. CXX. Ex quibus porro intelligimus, *analogiæ* usum in notis *fortuitis* ac *variabilibus* præbere argumenta *probabilia* tantum, non item & *demonstrativa*. Quum enim *perfecta inductione* ea niti debeat, ut rite procedere; ac certo aliquid concludere possit; ea autem perfecta inductio, si in speciebus enumerandis satis difficilis est, in individuis proculdubio ob eorum infinitatem impossibilis omnino videtur: inde fit, ut aliquot species tantum, ac aliquot tantummodo individua recolentes, cetera alto prætereuntes silentio, manca ea semper & imperfecta futura sit; milleque proinde exceptionibus obnoxia. Atque id quidem si sæpe alias, maxime in rebus *medicis*, *ethicis*, item, atque *politicis* contingere solet. Ac in *medicis* quidem: quum quæ uni remedia sunt, alteri

eodem

eodem quantumvis morbo laboranti, ob temperamenti, aliarumque circumſtantiarum diverſitatem, interdum ſint venena; vel ſi non nocent, nec etiam proſint; Tum & in *ethicis*, atque *politicis*, in quibus qui affectus, quæ inclinationes, quæque averſationes ſunt unius hominis, aut unius nationis propria, nonniſi *probabiliter* & *conjectando* hominibus aliis, aliiſque nationibus aptari poterunt. Propterea quod nimirum hominum mores pro vario eorum temperamento, climate, educatione, *vi ſympathica & antipathica*, ac uſu præcipue abuſuque rationis & libertatis multifariam flecti poſſint, ac imo flectantur. In his igitur, ſimilibuſque rebus *analogia* caute admodum utendum; nec alium certe in finem, niſi ut eædem tamquam *exemplis* quibuſdam, de quibus ſuperius (§. 70.) dictum, colluſtrentur, atque ſelectis eruditionum fragmentis ad oblectandum exornentur.

§. CXXI. Contra vero ſeſe res habet in *neceſſariis*, & *invariabilibus* rerum *notis*. Quippe quum in his *analogiæ* uſus & ad demonſtrandum firmiſſima argumenta ſuppeditat; & innumerabilibus præterea veritatibus quum *phyſicis* tum *metaphyſicis* abſque *inductionis* præſidio detegendis viam parat. Ac firmiſſima quidem ad demonſtrandum humanæ rationi argumenta ſuppeditare, ex eo exploratum eſt, quod ubi *notæ* neceſſario, ac invariabiliter quum generis naturæ inſunt, tum ſpeciei, ab iis inſeparabiles eſſe debent, & indiviſæ. aliquin

quin

quia nec necessariæ eæ forent, nec invariabiles; ut patet. Quocirca & speciebus singulis, quæ *nessariæ* sunt *notæ* generis, insunt; & quæ *necessariæ* speciei notæ, singulis quoque individuis inhærent. Quia nimirum & generis natura in illius speciebus singulis, & natura speciei in singulis ejusdem individuis integra, ac perfecta adservatur.

§. CXXII. Tum ejusdem *analogiæ* usum in *necessariis* & *invariabilibus* rerum *notis* humanæ rationi viam sternere, atque parare ad innumerabiles veritates absque ullo *inductionis* præsidio detegendas, adeo exploratum, ut nihil magis. Enimvero statim ac serio, adcuratoque examine constiterit, datas *notas* necessario ac indivulse ad generis, aut speciei naturam & essentiam pertinere; una opera, & absque ulla *inductione* intelligitur, quæ sunt generis, speciebus singulis, & quæ *notæ* sunt speciei, singulis quoque individuis necessario, & indivulse inhærere. Adeo ut simplex veritas *generica* pro numero specierum, ac simplex *specifica* pro individuorum numero quodammodo multiplicari videatur. Ita ubi intelligo, ad genericam *figuræ planæ* naturam necessario pertinere, ut sit plana superficies una vel pluribus lineis comprehensa (quæ simplex veritas *generica*); statim quoque intelligo, triangula, quadrilatera, pentagona, exagona, circulos item, ellypses, & ita porro, quia singula figuræ planæ sunt, planas quoque esse oportere superficies una vel pluribus lineis respective compre-

prehensas (quæ multiplices veritates *specificæ*). Similiter ubi agnosco, ex natura *circuli* necessario sequi, habere illum radios omnes a centro ad periphæriam ductos inter se æquales (quæ simplex veritas *specifica*); simul etiam agnosco, singula circuli individua A. B. C. D. . . . . eosdem radios habere inter se æquales (quæ innumerabiles veritates *individuales*).

§. CXXIII. Quæ quum ita sint, *analogiæ* usum si quidem in *physicis*, maxime heic in *metaphysicis* & intelligibilibus veritatibus investigandis ac detegendis tironibus proponendum, & inculcandum putamus. Meminerint ii vero semper præcedentium regularum (§. 116. seq.), atque juxta illas integrum *analogiæ* artificium & usum ubique instituere adnitantur. Ita quippe & firmissima ad demonstrandum argumenta conficient; & una tantum veritate sive *physica* sive *metaphysica* inventa, multiplices, quin & innumerabiles veritates alias una opera invenient, non sine ingenti eorum voluptate & utilitate, ac Disciplinarum prætcrea ipsarum multiplici incremento,

CA-

CAPUT XIII.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum inquisitione per antilogiam.

§. CXXIV. Antilogia, ut ego quidem adpello, notio *analogiæ* notioni contraria & opposita est. Quocirca ut analogia *similitudinem*, ita antilogia *contrarietatem* sonat. Atque ut *analogia a simili ad simile* ratiocinando utimur (§. 115.); contra *antilogiam a dissimili ad dissimile* ratiocinando pariter adhibemus.

§. CXXV. Integrum autem *antilogiæ* artificium in eo constitutum, ut rejectis casibus omnibus in contrarium adsumptis tamquam falsis, qui solus postremo casus data in controversia superest, tamquam verus, ac genuinus stabiliatur. Hinc *antilogia* demonstrationi *indirectæ*, de qua superius (§. 56.) diximus, quodammodo similis esse videtur: nisi quod *indirectæ* demonstratione ad refractarios in absurda & contradictoria deducendos, eorumque pertinaciam compescendam utimur; *antilogia* autem ad contrarios casus omnes possibiles tamquam falsos excludendos, ac unicum illum, qui verus ac germanus est, & superest, illatione quadam colligendum, ac stabiliendum. Ita si ad demonstrandum, *centrum circuli esse in recta*

per.

perpendiculari , a puncto contactus alterius rectæ circulum tangentis intra eumdem circulum excitata, casus omnes oppositos, idest singula puncta cetera per integram circuli aream adsumpta seorsum excludo tamquam illa , in quibus esse nequit centrum circuli ; tum statim concludo , centrum hujusmodi consequenter esse oportere in recta perpendiculari recensita : erit istuc ratiocinandi genus ab *antilogia* depromptum . Quo autem *antilogia* rite instituatur , binæ regulæ ob oculos habendæ sunt : altera , qua oppositi casus omnes uno eodemque argumenti genere excludi , ac refelli possint : altera , qua ad eosdem excludendos , ac refellendos novis ac respective diversis opus sit argumentis . Eæ porro sunt hujusmodi .

§. CXXVI. *Antilogiæ* regula prima . *Si oppositi casus omnes uno eodemque argumento excludi possunt , uno tantum casu rejecto tamquam falso ; & ceteri quoque absque ulla inductione rejecti , ac semet exclusi intelliguntur velut æque falsi* . Nam si unum idemque argumentum oppositis casibus omnibus tamquam falsis rejiciendis ac refellendis par erit atque sufficiens ; ubi unus tantum ex illis rejectus fuerit , supervacaneum prorsus erit casus alios seorsum enumerare , eodemque argumento refellere : quum illud eamdem vim ex hypothesi habeat adversus reliquos . Hinc quia in præcedenti exemplo singula puncta extra perpendicularem illam in circuli area adsumpta uno eodemque argumento rejici possunt , atque in Geometria facto

 ipso

ipso rejiciuntur; postquam eorum unum rejectum fuit & oppugnatum, cetera rejecta simul & oppugnata intelliguntur sine ulla *inductione*, novaque & otiosa argumenti ejusdem reiteratione.

§. CXXVII. *Antilogiæ* regula secunda. *Si autem oppositi casus omnes uno eodemque argumento excludi, ac refelli minime poterunt; perfecta tunc singulorum inductione opus erit, singulique diversis respective argumentis refellendi.* Si enim unum idemque argumentum ad casus singulos refellendos est insufficiens; uno tantum illorum rejecto & oppugnato, ceteri adhuc subsistere intelliguntur; qui proinde *inductione* perfecta recensendi, novisque pro opportunitate argumentis respective refellendi. Fieri namque poterit, ut is, qui reticetur, verus ac germanus casus sit; ac ille proinde qui postremo loco colligitur tamquam verus, spurius sit ac falsus. Qua in hypothesi tota *antilogia* in sophisma vertetur, quod *imperfectæ enumerationis partium* adpellant. Ut in hoc exemplo: *Commercium mentis & corporis non fit occasionalismo. Non anima media. Non harmonia præstabilita. Fit igitur influxu physico.* Nam quum uno eodemque argumento tres priores *hypotheses* cum ceteris possibilibus refelli nequeant; iis exclusis, non statim subsistere intelligitur quarta. Quum fieri facile possit, ut idem commercium alio ex tot possibilibus modo, etiam a quarto illo diverso exerceatur. Quam sæpe regulæ hujus neglectu in errores prolabuntur Philosophi! . . . .

§.

§. CXXVIII. Itaque ubi duabus hisce regulis *antilogia* regatur, tutissime humana ratio ea uti poterit ad novas veritates nedum *metaphysicas*, sed & *physicas* etiam perscrutandas, ac detegendas. Propterea quod fieri minime possit, ut dum contrarii casus omnes quum reales tum etiam possibiles aut uno eodemque argumento, aut totidem pro opportunitate ac necessitate diversis plane jam ac solide rejecti fuerint; postremus ille, qui superest, minime subsistat. Alioquin nec plane rejecti forent, nec solide: quod adversatur hypothesi.

§. CXXIX. Ceterum parce tantum, ac ubi data veritas alia via inquiri, ac detegi non poterit, *antilogiæ* artificio utantur, volo, tirones. Nam, ut ibidem (§. 56.) de demonstratione *apogogica* adnotatum, demonstratio quoque *antilogica* mentem quidem ad postremum casum, rejectis ceteris, firmandum compellit; verum aut nimis parce, aut nullatenus etiam eamdem collustrat. Cujus ratio perspicua, quia *antilogia* ostendit quidem, rem aliter esse non posse, nisi *uno soloque modo illo*, qui in casu postremo enunciatur: nexum autem subjecti cum prædicato, ex cujus intelligentia totum lumen & collustratio pendet, minime patefacit. Nam, quod nonnullis aliquando dictum, *certitudinem* ab *evidentia* sejungi non posse; id & per sola *mysteria fidei* (quæ certissima, tetraque simul caligine obducta) falsum est; & inter consuetos Philosophorum lapsus, atque deliquia computandum.

§. CXXX. Praeterea si *nunc*, quum haec scribo, *ver esse*, directa immediataque ratione intelligere, ac ostendere possum; quia nimirum prata undique rident, ac plantae pulcherrimis, elegantissimisque floribus onustae quodammodo superbiunt; quae *characteristicae veris notae* sunt; eccur indirectis & obliquis turpiter otiando utar in hunc modum: *Non est aestas; quia nondum calor effervescit. Non autumnus; quia nondum fructus adparent. Nec denique hyems; quia frigus haud mitius evasit. Est ergo ver?* Utendum ergo ambagibus; verum ubi necessitas ad id nos cogit, ubi via regia undique interclusa fuerit.

§. CXXXI. Interim priusquam huic capiti finem imponam, scire quoque volo tirones, id quod ex hucusque ceteroquin dictis semet jam fortassis observavere, progressionem scilicet *analogicam*, de qua capite praecedenti, e diametro oppositam esse *antilogicae*. Ubi namque illa ex una tantum generica, aut specifica veritate jam inventa innumeras alias *ob similitudinem* intelligit: haec vicissim ex innumeris rejectis falsitatibus unam tantummodo, ac simplicem veritatem *ob dissimilitudinem* deducit. Ut adeo, si saepe alias, heic praecipue vim *humanae rationis* multipliciter artificioseque sollertem, & actuosam demirari possint, atque in infinitam Dei sapientiam ac potentiam mirabundi obstupescere, qui sic praestantes nobilissimosque spiritus, sic praestanti nobilissimaque vi praeditos ex nihilo condidit,

humanoque corpori copulavit. Nam uti ſæpe dictum, ac centies pro opportunitate repetendum, id genus obſervationes *in habitum* convertant, volo, in Deum pii, officioſique tirones. Ea namque vera ac utilior philoſophandi ars homine rationali, chriſtianoque digna: non ſicca illa ac ſterilis, quæ in ſola factarum rerum contemplatione immoritur, atque tabeſcit.

CAPUT XIV.

De uſu rationis in metaphyſicarum veritatum inquiſitione per librorum dogmaticorum lectionem. Ubi de arte hermeneutica.

§. CXXXII. Quum librorum lectio immediata ſenſuum adplicatione characteribus ipsis, quibus exarati, fiat; videri alicui fortaſſe poterit, cognitiones ea via partas non *metaphyſicis* ac *intelligibilibus*, ſed maxime *phyſicis* ac *ſenſibilibus* accenſendas; atque hinc præpoſtero quodam differendi ordine de illis heic a nobis agi, quum viciſſim agendum potius fuiſſet Libro II. tamquam in loco longe opportuniore. Eſſet autem judicium iſtuc ex illorum proculdubio genere, quæ ſubitanea, quæ oſcitantia, quæque minus conſiderata dicuntur: & quæ proinde nonniſi forte fortuna ab errore immunia

 ſunt.

sunt. Enimvero quo veritates *physicæ* ac *sensibiles* dicantur, oportet, ut sensuum adplicatio fiat rebus ipsis sensibilibus, quibus eæ insunt, non characteribus in pagina exaratis, qui illarum non sunt, nisi *signa* tantum, hominum arbitrio inventa, & adoptata. Quamobrem in librorum lectione veritates, quæ ipsos sensibiles characteres spectant, *physicæ* quidem sunt; non quæ res per eosdem characteres designatas. Hæ namque ad solam rationem, intelligibili stupendoque artificio eas revocantem, & in se ad characterum contuitum excitantem pertinent.

§. CXXXIII. Atque hæc quidem observatio sequens quoque caput spectat, in quo *de usu disputationis* erit nobis sermo. Nam utrobique, ut dicitur, par ratio. Jamvero integra de librorum lectione tractatio duplici parte constat, *librorum legendorum delectu*, & *legendi arte*. Primum. Sunt libri omnes triplici in classe constituti. Nam alii noxia continent: alii inutilia: alii demum utilia, scituque necessaria: de quibus seorsum, ac paucis pro *elementorum* modulo.

§. CXXXIV. Principio qui libri noxia continent, vel Religionem oppugnant, vel depravant mores, vel cives ad seditionem concitant. Religionem impugnare libri possunt vel *revelatam* tantum; cujusmodi sunt libri *Deistarum*: vel quum *revelatam*, tum *naturalem*; ut libri *Atheorum*, *Epicureorum*, *Scepticorum*, ac *Materialistarum*: vel diversis tantum erroribus, falsisque dogmatibus utramque, vel alterutram
fœ-

fœdando ; ut libri *Hæreticorum*. Mores autem libri corrumpunt, qui ad turpia, ac facinora provocant, quique boni & mali, justi & injusti, turpis & honesti discrimina tollunt; ut volumina *Libertinorum*. Ad seditionem denique cives provocant, qui summum Imperium sola *vi* ac *prævalentia* primitus inductum, modoque regi etiam & perpetuari edocent; ut opera *Naturalistarum*.

§. CXXXV. Horum omnium lectio tamquam pestis fugienda & anguis: præsertim quum salibus illis, jocis, ac floribus, quibus callidi homines ad decipiendum venena propinant, vel cautissimos quandoque lectores præcipites trahant in ruinam. Hinc merito ab Ecclesia ea volumina proscripta, ac sub severioribus censuris eorum *lectio*, atque *detentio* vetita. Nam quod hoc præcipue ævo nostro quidam minus pie, minusque cogitate deblaterant, eam proscriptionem & inhibitionem non ex jure, sed ex summorum Pontificum arbitrio ac prævalentia obortam; id & *corrupti christianismi* est, & imperitorum proprium. Alia quippe apud primitivos, idest *veros* christianos harum legum existimatio. Nam, Actor. XIX. adversus pestifera id genus volumina prædicante Paulo, ac doctrinam signis ac virtutibus confirmante, *multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos. MULTI AUTEM EX EIS, QUI FUERANT CURIOSA SECTATI, CONTULERUNT LIBROS, ET COMBUSSERUNT CORAM OMNIBUS. ET COMPU-*

TATIS PRETIIS ILLORUM, INVENERUNT PECUNIAM DENARIORUM QUINQUAGINTA MILLIUM. Ex quibus intelligimus, jus proſcribendi libros non recens in Eccleſia eſſe, ſed *chriſtianiſmo* coævum: nec Pontificum arbitrio aut prævalentia inductum, ſed ex Apoſtolorum praxi ac traditione perpetuatum: nec demum illi obſtitiſſe olim bonos pioſque fideles, ſed tot viciſſim cum impenſis proſcriptos comburendo libros ultro paruiſſe.

§. CXXXVI. Deinde inutilia ac ſupervacanea continent libri, in quibus ab imo ad ſummum nihil tradi videtur, quod in propriam aliorumque utilitatem converti poſſit. Hos infructuoſæ ficulneæ evangelicæ non immerito adſimilaveris, quam præcidendam juſſit Servator, ne inutiliter terram occuparet. Horum quoque lectio, ne oleum fruſtra amittatur & opera, neve tempus turpiter ſubtrahatur lectioni utili, devitanda. Scio nullum eſſe librum, in quo inter inutilia plura ac ſupervacanea non quidquam bonæ frugis contineatur. Verum quum granum purum, excuſſa palea, aliis in operibus haberi promptius atque commodius poteſt; quorſum quærimus illud in palea excutienda? In horum cenſum minime computanda volumina, in quibus varia eruditionum genera, aut pulcra, ac jucunda plurima conſcripta ſunt, in primis Poetarum, Comicorum, Tragicorum, ne exceptis quidem *romanenſibus* quibuſdam *fabulis*, quæ lepore illo, & opportunis integumentis vitia communi odio & exe-

execrationibus objiciunt ; virtutes contra mirum in modum promovent, extollunt , ac ita amabiliores reddunt . Legenda tamen illa parce, & ad necessariam animi relaxationem tantummodo , non toto pectore , uti inconsulto fit, haurienda ; ne gustus germanæ sapientiæ retundatur . Inter romanenses fabulas summopere mihi adblandiuntur , quas itálico idiomate elegantissime conscripsit, pulcherrimisque documentis *ethicis* , atque *politicis* , necnon *criticis* locupletavit illustris Ab. Chiari (*a*) .

§.

(*a*) Nemo melius , pulcrius, & elegantius hucusque , si quid cerno , *italice* scripsit viro hoc illustri, cujus fama ac nomen per cultas Europæ nationes satis celebre, ac præclarum . Ausim dicere , ut Cicero in *latina* , ita & virum hunc cl. velut exemplar juvenibus proponi posse in politiori , & cultiori addiscenda *lingua italica* . Quæ verborum proprietas ? Qui situs ? Quæ fluiditas ? Qui concentus ? Qui nitor ? Quæ elegantia ? Quæque ars & ad oblectandum suavior , & penetrantior ad persuadendum ? Utinam vero tam rarum , eximiumque italæ nationis hujus nostræ ingenium , abjectis crepundiis illis , selectioris eruditionis , ac doctrinæ sublimioris argumenta evolvenda , commentanda , perpolienda meliori judicio delegisset ? Quas utilitates & commoda in communem societatem nunc non intulisset ? Quæ incrementa scientiis ipsis artibusque non accessissent ? Quæ decora & ornamenta disciplinæ omnes ex tam illustri calamo non accepissent? Sed magnus etiam Achilles licet igne , gladio , bello ad subjuganda imperia factus esset ; muliebrem nihilominus vestem armis antepofuit ! . . . .

§. CXXXVII. Utiles postremo, lectuque necessarios voco libros, qui ea docent, quæ hominum vitæ *animali*, ac *civili*, præcipue vero *morali* fovendæ, ac perficiendæ apta sunt. Horum auctores magna in existimatione habendi; oporteretque esse illos sempiternos, & immortales: quippe quorum scientifici labores numquam satis compensari possunt. Quis enim pro merito compensabit eximia adeo ac immortalia bona, quæ ex eorum lectione & studio in nos promanant? Enimvero rerum quum intelligibilium tum corporearum origines, naturas, causas, effectus, loca, tempora, usus, fines, relationes, omnia, ac eventus præterea omnes evolventes, nobisque fideli narratione & calamo communicantes, rebus omnibus, omnibus locis, omnibusque temporibus reddunt nos quodammodo coexistentes, ac ita æternos fere, omniscientes, omnique præsentes. Hæc igitur aurea, cedroque digna volumina diurna manu versent, volo, juvenes disciplinarum studiosi, versentque nocturna.

§. CXXXVIII. Ceterum quousque sub præceptorum disciplina extiterint, pauca habeant, eaque quamoptima, ac politiori stylo conscripta. Pauca quidem; ne attentionem in plura distrahentes, nihil ediscant funditus, ac ita tota eorum sic parta sapientia, ita uti fit, superficiaria, & ex cortice reddatur. Quo spectat Plinii illud lib. VII. epistol. 9. alta mente reponendum: *Non multa sunt legenda, sed multum*. Tum quamoptima: ut ita quam

ex

ex illis haurient, ſapientia atque doctrina, & in propriam convertent, ſana ſit, utilis, pulcra, decora, laudeque digna. Tandemque cultiori ſtylo conſcripta: ut adſidua eorum lectione politiorem dicendi ſcribendique ſtylum ſenſim ſenſimque contrahant. Nam ut liguam datæ nationis, quam incolimus, quotidie audiendo ediſcimus; ita & auctoris dialectum, in cujus adſidua lectione verſamur, noſtrum quodammodo facimus ac proprium.

§. CXXXIX. Hæc in *librorum legendorum delectum*, quæ ſuperioris (§. 133.) diviſionis erat pars prior. Adeamus nunc *legendi artem*, quæ pars poſterior, ac iis quidem in libris, qui *dogmatici*, ac *ſcientifici* dicuntur. Quamquam horum præcepta plurima librorum quoque *hiſtoricorum* lectioni commode aptari poſſint: niſi quod libri *hiſtorici*, qui *hiſtoricas* ſcilicet *veritates* nobis ſuppeditant, *criticis* etiam præceptis aliis (de quibus Libro ſequenti) maxime indigeant. Nec diſſimulandum, in libris *ſcientificis* atque *dogmaticis methapyſicas* æque ac *phyſicas* veritates nos ediſcere poſſe. Verum quouſque corpora ipſa ſenſibilia immediata ſenſuum adplicatione & *experientia* a nobis poſt lectionem conſulta non fuerint; *phyſicæ*, quæ in illis traduntur, veritates, tamquam ſola mentis ratione a nobis cognitæ, inter *metaphyſicas* & abſtractas, quemadmodum ſuperius (§. 132.) diximus, computandæ.

§. CXL. Magnum porro lectionis optimorum

rum scriptorum commodum, magnumque emolumentum! Quippe dum ea, quæ improbo ac diuturno labore scrutari ipsi, ac pervestigare per tot ambages, nec sine multiplici errandi periculo deberemus; in scientificis eorum Operibus eruta jam omnia e Democriti puteo, parata, firmata, perpolita, ac in ordinem digesta nobis exhibentur. Adeo ut non aliud agendum nobis supersit, nisi frui tantum labore, ditarique opibus alienis. Quo autem ea commoda promptiora ac faciliora, eaque emolumenta locupletiora nobis reddantur, *arte* ea in lectione opus est, *artisque præceptis*, quæ per tutissima veri vestigia ad scopum nos ducant, quo anhelantes tendimus, & quo scriptores ipsi antea pervenere. Ea autem, saltem præcipua & accommodatiora, sunt hujusmodi.

§. CXLI. Principio probare sub initium seipsos tirones debent, sint ne animo, ut oportet, pacato, atque ab omnibus affectibus libero, ac ita etiam ad æquilibrium composito, tamquam si nusquam de rebus ad eam disciplinam spectantibus quidquam loqui inaudivissent. Id enim omnino necesse est, ut vera a falsis, bona a malis, pulcra a deformibus, atque utilia ab inutilibus æquo judicio discriminari possint; atque anteactæ simul ætatis præjudicia sensim sensimque deponere. Deinde primo omnium loco auctoris *præfationem*, & quæ *præfationis* loco sunt, una cum librorum, capitumque *indice* sus deque perlustrent. Ita quippe uno velut oculi ductu plura intelligent, quæ Operis

ris lectioni ingentem plerumque lucem adferre solent, in primis vero scriptoris genium, sectam, nationem, ætatem, scribendi occasionem, finem, methodum, rerum partitionem, ordinem, complexum, atque systema. Tum vocabula, præsertim frequentiora, juxta sensum ab auctore traditum ubique accipiant, altaque mente reponant. Principia etiam, quibus integrum ædificium superstruitur, perpendant diligenter, seriem, ordinem, & concatenationem, qua propositiones demonstrantur. Nec oppositarum difficultatum, ac responsionum, quibus e vestigio illæ refutantur, vires secum invicem conferre prætermittant. Ubicumque vero pulcri aliquid, rari, ac peregrini occurrerit, in tabulas seorsum referant, sæpeque perlegant.

§. CXLII. Verbo: sit librorum lectio non perfunctoria, non perturbata, non abrupta, non per saltum inita; sed seria, nexa, continua, ordinata. Singula ad rationis lancem, tamquam ad lydium lapidem, severo judicio exigantur, si vera, si falsa: si clara, si obscura: si utilia, si supervacanea: si satis evoluta, si manca, si redundantia: si imbecilla, si sufficienter firmata: si fideliter proposita, si tota vi oppugnata: si præpostera, si ordinata: sique quidpiam insit vitii, sin vero nihil, atque omnia numeris omnibus sint absoluta. Equidem in auctoris cujusque lectione sic paullatim adsuescere volo tirones, ut non bruti pecudis instar *eant, qua itur, sed qua eundum*, pergant. Nullibi, inquam, reputent, scriptores, quod magni

gni nominis sint, & omnium doctissimi habeantur, ab erroribus idcirco, aliisque in scribendo deliquiis esse prorsus immunes. Summa namque veracitas & infallibitas solis Scripturis sanctis, tamquam Dei falli ac fellere nescii, spiritu exaratis, reservata. Ceteri vero pro majori, eximiaque, quæ in illis est, prudentia atque doctrina minoribus tantum ac levioribus, quam scriptores reliqui, non autem nullis omnino defectibus premuntur. Scilicet nemo umquam quidpiam egerit, aut scripserit sine vitiis: *Optimus ille est, qui minimis urgetur* (a).

§. CXLIII. Ecquid demum, si in loca, uti sæpe fit, inciderimus obscuriora, perplexa, æquivoca, pugnantia, absurda? Scilicet adhibenda tunc *Artis hermeneuticæ*, sive *interpretandi* præcepta, atque ex illorum præscripto ea loca

(a) Monitos heic omnino volo italos tirones nostros, ne exteros quosdam scriptores doctos idcirco illos, magnosque reputent, quod eorum nomina, aut etiam cognomenta portentosiora sint, & pronunciatu asperiora, & difficiliora. Satis late ridiculum id judicandi genus per incautam juventutem, perque sciolos quosdam & garrulos grassari videtur. Quippe qui, nescio quo, stupore & ecstasi abnormia ea nomina & cognomenta jactant, ac reverentur. Quasi quod CHAMÆLEONTEM, exiguum satis vermiculum, ingens idcirco, valdeque abnorme animal dicere oporteat, quod ejus nomen nimis emphaticum sit, ac nescio quid magni, ac portentosi exprimere videatur!....
Pudeat

loca expendenda, & in concordiam revocanda. Primum autem, ac princeps ejus *artis* pro locis æquivocis, perplexis, obſcuris, undecumque ea obſcuritas proficiſcatur, fuerit iſtuc, ſi nimirum verba antecedentia & ſubſequentia, itemque loca alia *relativa*, in quibus eadem de re clarius edifferit auctor, invicem conferantur, ſerioque perpendantur. Ea quippe ratione facillimum fuerit in verborum mediorum intelligentiam devenire. Quod ſi eo in obſcuro loco data ſcriptoris ſententia involvatur, nec ea fortaſſe regula erui poſſit; ex pluribus tunc interpretationibus, quæ adſerri poſſunt, ea præferatur, quæ *ceteris illius ſcriptis, factis, animo, atque vitæ* uniformior fuerit: Quod & Tullio monitum in libro *de Inventione*. Hos autem alioſque auctoris characteres partim ex illius *præfatione*, & *indice*, partimque

---

Pudeat ſollertiſſima, ac nobiliſſima Italorum ingenia tam putida imperitorum præjudicia, & inania commenta, quæ nauſeam & ſtomachum ingenuis jam movent, vel etiam ad riſum atque cachinnos concitant, ullibi fovere! Viros magnos ſelectæ dumtaxat eruditionis, ac doctrinæ amplitudine, ordinataque, ac perpolita cogitandi ratione reputent; non nominum, & cognomentorum ampulloſitate, & portentoſitate. Præſertim quum ſeptemtrionalium ſcriptorum nomina nimis reſonantia plerumque ſint; Opera viciſſim non raro muta, ſæpe blaſphema: quinimmo, quum quidpiam bonæ frugis continent, Italorum de more noſtrorum utplurimum plagiaria. Mitto horum exempla: quippe quæ ſatis frequentia, ac vulgo nota.

que ex *historia literaria* facile detexerimus. Ex pugnantibus vero locis. si alter non sit retractatio alterius, is ex auctoris mente præferatur, qui reliquæ illius doctrinæ conformior fuerit. Sin vero alter altero retractetur; nulla eo in casu prioris ratio habenda erit, sed sola spectanda retractatio ab ipsomet auctore facta. Illustria ejus rei exempla habemus *in libris Retractationum* S. Augustini, & in *Anacronismis* Cardinalis Norisii. Quæ tandem loca Religioni, moribusque adversa videntur, ubi nota fuerit auctoris probitas, benigne illa interpretari licebit. Accipienda vicissim ut sonant, si de illius improbitate, malaque fide dubitari non possit. Una quippe eademque formula aliud versipellis hæreticus ac libertinus, aliud probus catholicus intelligit *(a)*. Ceterum quum magna tenebricosorum locorum pars ex *traductionibus* in aliena idiomata pendeat, quæ difficillime ad auctoris mentem, ejusque originariam linguam exiguntur: hinc quo-

(a) Hinc aliud *Verbum* apud Arianos, aliud apud Catholicos. Alia *gratia* Pelagianorum, alia Catholicorum. Alia *præsentia Christi* in sacramento altaris calviniana, alia luterana, alia catholica atque romana: & ita porro. Similiter *Dei* nomine pleni sunt Spinozæ libri. Sed quisnam Spinozæ Deus? *Quodcumque vides, quocumque moveris*: ipsummet scilicet universum adspectabile atque corporeum. Aliud denique *naturæ jus* verum, verisque Philosophis admissum, quod jura omnia fovet, tuetur, ac perficit: aliud *hobesianum*, quod omnia evertit, convellitque jura naturæ. Cetera . . . .

quo ea obſcuritas facilius tollatur, utiliſſimum fuerit & ejuſdem idioma probe callere, & originarios fontes conſulere. Equidem fons perſæpe limpidus eſt & criſtallinus; interea dum rivuli turbidi ſunt atque cœnoſi . . . . Quod ſi ob idiomatum originariorum imperitiam id fieri non poteſt; adeantur eo in caſu, qui in iis peritiores fuerint, vel qui eadem de re *lingua nota* adcuratius ſcripſere. Ita quæ mella ex uno flore ſugere tirones non poſſunt, exſugent ex alio, ut apes.

CAPUT XV.

De uſu rationis in metaphyſicarum veritatum inquiſitione per diſputationem. Ubi de ſcientiarum, bonarumque artium Academiis frequentandis.

§. CXLIV. Recolendam heic in primis adnotationem volumus initio capitis præcedentis (§.132.) propoſitam; atque ea, quæ de characteribus in pagina exaratis ibidem diximus, & vocibus etiam quibus diſputatio omnis inſtituitur, heic aptanda. Rurſus huc etiam ſpectat animadverſio altera ibidem (§. 139.) tradita, ut lectione ſcilicet librorum, ita & diſputatione non *metaphyſicas* tantum, ſed & *phyſicas* etiam, & *hiſtoricas* veritates inquiri, & inveniri poſſe.

 Verum

Verum *historicas* egere legibus præterea *criticis*, de quibus libro sequenti : ac *physicas* inter *intelligibiles* & *abstractas* interea computandas, quousque propria sensuum *experientia* consultæ a nobis non fuerint, & observatæ.

§. CXLV. Si ex librorum lectione magna in scientiarum studiis obvenire nobis commoda solent, dum brevi plura illa ac præclara assequimur, quæ eorum auctores immenso plerumque labore, ac meditatione detexere (§. 140.); haud fortasse minora ea commoda & emolumenta plura sunt, quorum ex id[illegible] collatione cum viris doctis brevi etiam [illegible] cipes efficimur. Nam quæ ex multiplici[illegible], variisque floribus longævo studio, ac diuturna patientia & industria ipsi mella ut apes collegere; uno veluti haustu nobis quoque per disputationem propinantur. Sed & illud etiam disputatio habet commodi, quod, concussis spiritibus, privatæ meditationis languore jam torpentibus, (*adsidua* enim *meditatio*, ut est in proverbiis, *exsiccat ossa*) mens e sopore quodam excitata, nescio quid virium ac generosi vigoris non sine oblectamento lætabunda capit. Nec calamo exprimi satis potest quum ad loquendum, tum ad cogitandum prompta illa & expedita facultas, quam disputatio nobis ingenerat, præsertim si fuerit publica. Quippe quum in ea, nescio quo, publicæ acclamationis incantamine capta mens, plenissimam attentionem ad omnia intendit, ut auditorum plausus & gratulationes promereatur. Nec silen-

silentio prætereundum, dum res inter disputandum ex omni parte mira celeritate versantur, conferuntur, ac librantur, *judicium* in veri a falso discrimine mirum in modum firmari, ac roborari. Quæ idcirco innui, ut tirones quum publicis, tum privatis disputationibus alacriter ineundis incendantur, in eisque quotidie, quum possunt, exerceantur.

§. CXLVI. Porro disputatio, sive publica ea sit, sive privata, est velut scientificum certamen inter duos initum, quorum alter, qui adversus propositam *thesim* argumenta obtrudit, *opponens* dicitur; alter, qui ea dissolvit, *defendens* adpellatur. Triplici autem methodo iniri disputatio potest, *academica*, *socratica*, *scholastica*. Quum soluta oratione argumenta simul omnia producuntur, ac refutantur, disputatio dicitur *academica*. *Socratica*, si interrogationibus quibusdam, ac responsionibus utrinque absolvatur. *Scholastica* demum, quum constanti ratiociniorum, præcipue syllogismorum serie argumenta contraria ab opponente objiciuntur; atque ad eorum enunciationes singulas peculiares responsiones a defendente per vices adhibentur, veras scilicet concedendo, negando falsas, & æquivocas pro opportunitate distinguendo.

§. CXLVII. Negari non potest, quin *scholastica* disputandi methodus, si rite instituatur, tamquam uberior novarum veritatum scatebra quum *academicæ*, tum *socraticæ* sit præferenda. Quum enim inviolabilis in ea. lex sit, ut tam

negatas a defendente enunciationes directe ostendere, quam adhibitas ad argumenta solutiones directe etiam impugnare teneatur opponens: ac defendens vicissim nimis cautus in respondendo esse debeat, ne aut falsas enunciationes tamquam veras concedendo, aut negando veras ut falsas, aut minus denique solidas ad argumenta solutiones adhibendo, facillime refellatur ab opponente, ac non sine pudore & dedecore ad silendum, tamquam de falsitate convictus, compellatur: hinc mirum in modum eorum ingenia, præsertim si disputatio publica fuerit, acuuntur, & incalescunt; ac ita iis extemplo cogitandis idonea fiunt, quæ alias in mentem numquam fortasse venissent. Nam ea humanorum ingeniorum indoles atque natura, ut simul attrita silicis instar micantes undique scintillas quodammódo jaculentur, numquam illas vibratura, nisi simul attererentur. Scio, eam methodum paullo esse difficiliorem, ac diuturnam, intentamque exigere exercitationem. Utrumque vero abunde compensabitur illius utilitate majori, & locupletiori. Equidem sic censeo, *socraticam* disputandi methodum puerorum esse ac ludimagistrorum: *academicam* desidum, atque inertium: *scholasticam* sollertium, ac perspicacium ingeniorum. Ceterum in explanando pueris *catechismo* haud negaverim, quin *socratica* methodus salubrior sit, & accommodatior; quemadmodum & *academica* in congressibus domesticis

ſticis, & academicis (*a*).

§. CXLVIII. Quo autem ea rite procedat, præceptis quibuſdam regenda; quorum potiora ſunt. Primum *urbanitatis officia* utrinque eſſe debent intangibilia, ſanſteque ſervanda. Niſi enim ſcientiarum ſtudia perpoliant cultorum mores, ecquidnam aliud eos perpoliverit? Deinde proponenda, ac verbis quamperſpicuis exponenda *theſis*, quæ in diſceptationem venit; ne in incertum vagetur diſputatio. Tum communi diſputantium calculo ſtabiliendi fontes, ex quibus argumenta capiantur. Sine principiis namque utrinque probatis nullus erit diſputationi locus: quemadmodum accidit cum ſcepticis. Rurſus ſiquæ principia, quamquam falſa, a defendente admittantur ut vera, in *veri* confirmationem, ultro ea adhibeat opponens.

 Verum

(a) Qui a lycæo, publicisque concertationibus *ſcholaſticam* diſputandi methodum exulare vellent, ſimillimi mihi videntur iis, qui *latinum idioma* e ſcholis ejiciendum clamant. Pendet utrumque vero ex aucta ſæculi *inertia*, qua fit, ut laborioſiora quæque magno nos thædio afficiant, placeantque crepundia, ac faciliora. Cur autem in juvenibus *inertia* aucta? Quia auctæ relaxationes, aucta ſpectacula, aucta næniarum exiſtimatio, aucta . . . . Quia, inquam, lacrymabili tetroque deliquio magna ex parte jam degenerarunt e generoſo illo, nobiliſſimoque antiquorum juvenum animo, de quibus Poeta:

Qi cupit optatam curſu contingere metam,
Multa fecit, tulitque puer, ſudavit, & alſit,
Abſtinuit venere, & vino.

Verum, namque falso, quod adversario censetur verum, formula illa *ex concessis* confirmare licebit; secus ac falsum, cui nusquam favendum. Ad hæc nihil pro certo sibi umquam adsumat opponens, quod a defendente in dubium verti possit. Alioquin aut silere prorsus cogetur, aut extra thesim turpiter excurrere, atque vagari. Præterea enunciationes a defendente negatas *directe* probet opponens; ita nimirum, ut prioris argumenti filum constanter retinendo, conclusiones eæ semper sint subsequentium probationum. Alias novi habebuntur excursus, novæque *medii termini*, ut dicitur, desertiones. Item negata a defendente *consequentia*, non propositio ipsa argumenti postrema, idest consequens, sed *illatio* ejus ex antecedente per opponentem probanda. Secus heic etiam nova habebitur *extra chorum* cantilena. Tandem veritate per disputationem inventa, disputantibus æque gratulandum, ac pacifice abeundum. Mitto cetera tamquam usu ipso ac praxi longe intelligibiliora, quam calamo.

§. CVLIX. Hæc inter disputandum præcepta servanda. Vitia autem fugienda fuerint in primis jurgia, convicia, maledicta, rixæ. Ea enim dum affectus concitant, ac mentis rationem obnubilant, sunt etiam urbano, ingenuoque viro indigna. Deinde in disputationem numquam adducendæ theses inutiles, absoletæ, exsuccæ, sed utiliores semper, pulcriores, & selectiores: iique præterea errores acriter oppugnandi, qui atrocius grassantur in dies,

dies, ac jura omnia quum divina tum humana pervertunt. Stultum est enim, dum praeferociter cruentamur ad vitam, in verberando aere; muscisque captandis otiari. Quin prudentissima ea semper fuit Apologistarum praxis, is Patrum mos, ea summorum virorum consuetudo. Vitanda etiam inter disputantes *occulta collusio*, nostris hisce temporibus adeo frequentissima. Disputatio enim, quae *ex compacto* fit, aut ludentium indicium est, aut trepidantium, aut imperitorum. Turpis etiam abusus videtur, opponentem, ut *argumentationi in forma* finem imponat, ab ipsomet defendente moneri. Liberum enim opponenti esse debet, quousque potuerit, ac imo voluerit, eam protrahere: ut ita intelligi per auditores possit, utri veritas ipsa magis faveat. Tandem quis etiam ferat, ad palmarum damnabilem percussionem, aut ad sonitum, uti fit, tintinnabuli solutum se putare defendentem ab inviolabili lege, & onere argumenta jam proposita enodandi, ac refellendi (*a*)?

(a) Optandum quoque foret, ut in concertationibus publicis numquam philosophica quaedam, ac theologica praesertim dogmata cribanda, ac ventilanda proponerentur, quae minus cautis & imperitis, quorum in publicis his congressibus utplurimum magna pars, scandalo esse solent. Cujusmodi sunt e. g. animorum immortalitas, Dei existentia, ac providentia; coelibatus, Christi praesentia realis in Eucharistia, Mariae virginitas praesertim in partu, aeternitas poenarum

§. CL. Supereſt, ut de *academicis congreſſibus* nonnihil dicamus. Sunt ii ſcientiis, boniſque artibus colluſtrandis ac prolatandis nimis idonei; ac ingentem præterea utilitatem & commodum auditoribus adferunt, dum unius circiter horæ compendio multa illa addiſcere poſſunt, quæ illuſtres Academici, *diſſertationum* compoſitores, diuturno labore ac ſtudio detexere. Nihil dico, quod in hac florentiſſima civitate noſtra, quam duplex in primis Academia, *Conſtantium* & *Cratyllidorum*, jamdudum exornat, non ſit exploratum. Verum quo bona iſta & commoda pro merito ii nobis adferre poſſint, neceſſe eſt in primis, ut qui in Academicos eliguntur, viri ſint ex tota

---

narum, plura his ſimilia. Cujus duplex ratio maniſeſtiſſima. Prima: quia animum attentionemque plus de more intendimus in argumenta, quibus ab opponente ardentius oppugnantur, quam in ſolutiones, quibus a cathedra animo pacatiori defenduntur. Altera: quia non raro evenit, ut defendentis incuria, aut etiam imperitia ea objectamenta non ſatis clare enodentur; interdum etiam prorſus inſoluta remaneant. Quibus de cauſis fit, ut imperitiorum ac debiliorum mentes, qui ſancte credi illa, non in controverſiam adduci amant, ſatis perturbentur; eorumque fides nonnihil tepeſcere, ac ſauciari videatur. Horum itaque diſputationes *calamo* melius, ac lycæo committendæ, ac reſervandæ, quam publico *circulo*. Sunt enim plura, ajebat S. Hieronymus de Origenis *reſtauratione univerſali* diſſerens in Ezechielem, quæ in vulgus, tamquam nimis periculoſa, haud immittenda. Quæ vera.

tota saltem civitate electissimi, quorum gravitas spectabilis, quorum auctoritas veneranda, quorumque sapientia ac doctrina multis jam experimentis comprobata. Alioquin quomodo præceptorum ac magistrorum patriæ seminarium Academia haberi poterit? quomodo decus servare? quomodo publicum civium obsequium ac venerationem exigere, sibique conciliare? Deinde quæ argumenta in academicis congressibus evolvenda proponuntur, non sint ex iis, quæ ut non juvant scita, ita nec ignorata nocent: sed quæ *homini*, quæ *civi*, quæ *christiano*, maximeque *catholico* excolendo, ac perficiendo apta intelliguntur; quæque in communem utilitatem & commodum quum vitæ hominis *animalis*, tum *civilis*, ac præcipue *moralis* conferri possunt. Ne secus id genus congressus verborum ac nugarum potius videantur, quam rerum: aut tinnienti cimbalo similes evadant, quod quum demulcet aures, nihil præstat aliud. Postremo per Academiæ Principes atque Rectores colligendi diligenter, præstantiores saltem & utiliores academici labores, atque vel generosa Mecœnatum liberalitate, vel communibus Academicorum impensis in publicam lucem edendi. Ita quippe & in societatem conferre ea emolumenta poterunt; & ad nova, ac nobiliora perscrutanda, ac detegenda Academicos ipsos allicere, & extimulare. Mitto cetera, de quibus legendus L. A. Muratorius initio Opusculi *Sul buon gusto nelle scienze, e nelle arti*.

CA-

CAPUT XVI.

De usu rationis in metaphysicarum veritatum inquisitione per meditationem.

§. CLI. *Meditatio* est eorum omnium, quæ observando, experiundo, ratiocinando, legendo, disputando, aut quovis demum modo alio sensus mentemque exercendo didicimus, maturius, quam umquam alias, examen, ac velut distincta, exactaque cribratio, & ventilatio. Fit itaque meditatio *reflexione* mentis super ideas omnes, quas undecumque hausimus; ac judicia, & ratiocinia, quæ de rebus quovis in casu, & quavis occasione efformavimus; necnon super quamlibet rem aliam, quæ ad eorum nexum, seriem, relationes, ac millenas circumstantias alias quomodocumque pertineat. Estque idcirco velut *speculatrix* notionum omnium, quæ menti insunt, undecumque devenerint: nisi earumdem *spiritum*, & *animam* aptius, & opportunius adpellare malueris. Ejus campus, per quem expatiatur, est *memoria*, promptuarium scilicet idearum; ideoque amplior aut contractior, prout ea tenacior fuerit, aut labilior.

§. CLII. *Meditatione* seria cogitationes omnes acute spectantur intrinsecus, versantur attente ex omni parte, atque cum aliis, ad quas re-

relationem habent, diligenter conferuntur. Hinc ſpectanda velut amplior, & uberior ſcaturigo novarum veritatum intelligibilium & abſtractarum; velutque ſeverus & incorruptus judex earum omnium, quas ex aliis quibusvis fontibus deduximus. Sane mens *meditationi* intenta, neſcio quo, intelligibili ac ſpirituali lumine circumfunditur, quo magis, quam umquam alias, idonea reddatur rebus ſublimioribus & intricatioribus perſpiciendis, ac mira facilitate & nitore evolvendis. Quæ adeo vera ſunt, ut auſim dicere, mentis rationem aut nullo modo, aut præcipue *meditando* novarum veritatum inveſtigationi, & adſecutioni eſſe idoneam: quin *philoſophari* non tam *cognitione directa diſcere* eſſe, quam *reflexa meditari*. *Diſcunt* enim & pueri, & rudes, & etiam fæmellæ: ſoli autem Philoſophi, veri ſcilicet illi, nativi, ac germani *meditantur*.

§. CLIII. Meditatio, quamquam nobiliſſimum ſit intelligentiæ munus, ex quo purior, ac præſtantior diſciplinarum ſuccus in nos promanat; parum nihilominus utiliter tironibus inculcatur, dum ea in ætate *meditando* minus idonei eſſe videntur. Sane juvenes ſive plura cito addiſcendi aviditate illa; ſive animo, quo ſunt, impatienti & irrequieto; ſive propter nondum exprompta m & evolutam librandi facultatem; devorandis quidem rebus, ſimulque conſarcinandis, atque *addendis acervo* apti ſunt; cribrandis vero, & pacate meditandis minus idonei. Hinc *meditatio* Philoſophorum propria

pria est ætate provectorum; ac spiritibus sanguineque frigidiorum. Conferre eos possis cum bovum, oviumque moribus. Nam ut hi edendo, replendoque ventri per diem intenti sunt, nocte vero depastas herbas ruminare, ac tritutare solent; ita & juvenes florente ætate memoriæ quidem rerum notionibus implendæ, ac locupletandæ ardentius vacant; cribare postmodum illas, ac meditari incipiunt ætate provecti, annisque maturi.

§. CLIV. Atque hæc quidem adeo vera sunt ut scientifici juvenum labores satis rudes de more videantur, indigesti, inconcimni; atque plerasque opiniones ambabus ulnis adoptare, acriterque defendere plerumque observentur, quas annosi postmodum, plenique dierum pacatius contemplati, tamquam falsas ultro rejiciunt. Quæ etiam & in Operibus typis datis *novarum editionum* causa est, & origo. Quo in loco de iis novis editionibus loquor, quibus retractantur falsa, corriguntur prava, supplentur manca, redundantia coercentur, enucleantur obscura, nutantia firmantur, hiantia ac perturbata nectuntur & ordinantur, ac ruvida demum & irsuta elegantiori forma, ac politiori stylo perpoliuntur. Quippe quum ea vitia minime illis, dum primum in lucem eduntur, inessent, si eorum auctores in *meditando* profundiores fuissent, ac patientiores. Quæ enim Opera germanæ *meditationis* fœtus sunt, ea & pulcra, & nexa, & ordinata; & numeris denique omnibus absoluta in lucem eduntur.

§.

§. CLV. Neque etiam spectare alio putaverim Venusinum nostrum, dum sapienter monet, ut, *quæ scribuntur*, antequam publici juris fiant, *nonum in annum dimittantur*. Nam hinc incalescente nimis juvenum phantasia, nimioque præterea inordinato rerum suarum amore capti; illinc rebus, ut oportet, cribrandis ac maturandis minus idonei; fit, ut ea adglomerare simul, & consarcinare videantur, quæ nisi multos post annos severo, pacatoque examini ac meditationi subjecerint, atque in meliorem formam redegerint, indigna prorsus sunt, ut in publicam lucem emittantur. Quamquam ea Poetæ admonitio etiam ætate maturos, studiisque attritos atque subactos facile spectare posse videatur. Nam sive nativa mentis imbecillitate id fiat; sive quotidianis distractionibus & curis; sive nimio nostri amore, quo nobis cuncta nostra placent; sive causa alia quacumque; difficillimum prorsus fuerit, ut primi calami ductus ac fœtus numeris omnibus sic absoluti prodeant, quatenus publicam lucem statim, & absque ulla emendatione ac perpolitione promereantur. Hinc & viris quoque summis sub scriptionis librorum initia *paternæ sæpe cecidere manus, ac folia sæpe fuere ludibria ventis* . . . .

§. CLVI. Ceterum si sublimioribus ac diuturnioribus meditationibus ineundis minus idonei sunt tirones nostri; enitantur saltem; quantum possunt, ut illis paullatim adsuescant. Bibant equidem quotidie de scientiarum fluen-

tis,

tis, quantumcumque voluerint; sed *degustando* per vices, non toto pectore, plenoque gurgite perpetuo hauriendo. Nam præter quam quod quæ meditando didicerunt, clarius ac nitidius intelligent; profudiora etiam vestigia in memoriæ promptuariis cudent; ac ita tenacius, diutiusque in eadem hærebunt. Quod quum fit, mirum in modum eorum sapientia augebitur in dies; si quidem verum est, quod alibi adnotatum: *Tantum scit homo, quantum reminiscitur*. Contra vero juvenes, qui nova semper ac nova sine ullo prorsus *meditationis* præsidio addiscere, memoriæque demandare satagunt, *retrogradi* quodammodo in studiis utplurimum videntur. Quia nimirum minus intelligendo, quæ sic avide, & immeditate memoriæ committunt, leviora in ea vestigia imprimunt, ac ita facilius eadem ut umbræ dilabuntur, tamquam si nusquam didicissent.

§. CLVII. Sunt & eximia emolumenta alia, quæ ex *meditationibus* rite institutis in nos promanant. Sane quum aliorum dicta, aut facta, aut etiam scripta attente meditamur, atque aliqua in illis vitia detegimus; totidem animadversiones ac monita ea nobis sunt, ne in eadem oscitanter prolabamur. Vicissim vero totidem potentissima incitamenta atque calcaria erunt dotes illæ plures & ornamenta, quæ in illis observaverimus, ut eadem pro opportunitate imitemur. Quinimmo nedum devitare mala, imitarique bona, sed & meliora quoque, ac præstantiora commoliri adnitemur. Nam ea hu-

humanorum ingeniorum, saltem nobiliorum generosa indoles atque natura, ut deterioris conditionis suæ velut erubescentia atque pertæsa, aliorum præclare dicta, gesta, atque scrita, & cogitata nedum exæquare festinent, sed & velis, ut dicitur, equisque prætergredi, ac superare contendant.

§. CLVIII. Quo autem *meditationes* rite instituantur, atque magnis hujusmodi emolumentis in studio disciplinarum nobis suppeditandis reddantur idoneæ, sequentia præcepta servanda proponam. Primum nempe sit mens ab omnibus affectibus libera: ut res meditationi subjectas tales ipsa cernat, quales sunt in seipsis. Deinde rebus eisdem sit ea nimis quoque intenta. Attentio quippe quo major fuerit & acutior, eo mentis obtutum in res ipsas velut profundius infiget. Rursus nullis rumoribus, nullaque extranea cura meditationis tempore eadem mens perturbetur. Ne scilicet attentione imminuta, res velut illius aciei subtrahantur, & evanescant. Hinc nocturna silentia, & loca opaca meditationibus rite ineundis valde aptata. Præterea cogitationes undecumque dehaustas ea sic meditetur, ut severo pacatoque examine minutatim cribret, veræ ne sint illæ, an falsæ: vacillantes, an firmæ: bonæ, an pravæ: utiles, an supervacaneæ: ordinatæ, an perturbatæ: satis evolutæ, an adhuc confusæ: pulcrene, ornateque contextæ, an horridæ, & incultæ: alia hujusmodi. Præcipue vero, num rationes, quibus eæ ita potius quam aliter nobis

bis videntur, solidæ sint atque perspicuæ, an imbecillæ minusque claræ introspiciendum. Tandem meditatione completa, generose abjicienda, expurganda, supplenda, firmanda, corrigenda, evolvenda, collustranda, ordinanda, nectenda, ac perpolienda, quæ falsa, quæ supervacanea, quæ manca, quæ imbecilla, quæ prava, quæ confusa, quæ obscura, quæ perturbata, quæ abrupta, quæque demum inculta, & inornata meditando visa fuerint. Nam cribratione expleta, excusso rusticano furfure, purior tantum farina adservanda.

§. CLIX. Quum ea cogitationum, rerumque discretio per meditationem acta fuerit, velim, sincero animo, menteque pacata secum ipsis reputent æqui bonique rerum æstimatores, quam pauca sint, fereque nulla, quæ clara immobilique cognitione comprehendimus! Quam vicissim multa, quamque infinita, quæ aut ignoramus prorsus, aut vacillanti, incertoque judicio tenemus! Nam istuc princeps ac præstantius *meditationis* emolumentum fuerit, si propriæ ignorantiæ conscius fiat homo; ne umquam superbiat in sapientia sua, sed humanitatem ubique profiteatur, mansuetudinem, comitatem. Imitandum memorabile Socratis, magni illius in antiquitate Philosophi, exemplum, qui hac via eo incomparabilis humilitatis devenit, ut de se fateri non erubesceret: *HOC UNUM SCIO, ME NIHIL SCIRE*. (a). Sed

(a) Celebre istud Socratis effatum tamquam eximæ


Sed de *Arte inquirendæ veritatis metaphysicæ per mentis rationem*, deque integro Libro III. jam satis multa. Ad postrema progrediundum.



T AR-

---

miæ potius *humilitatis* ejus argumentum, quam universalis *scepticismi* indicium, uti vulgo fit, heic proponere, adhibereque malui; propterea quod nescio quid *enfasis* in illo mihi secernere videar: atque ubi de viris præterea magnis agitur, cohibendus semper calamus sit; nec ob leves suspiciones, ac non satis firma monumenta ad ea protinus convolandum, quæ illis aliquam levitatis, oscitantiæ, malitiæ, fraudis, aut infamiæ notam inferre possunt. Quæ justa, ac tironibus, ut *in habitum* convertant, numquam non inculcanda. Scilicet vere scepticum, idest veritatis omnis hostem & oppugnatorem Socratem, cujus tam magnificæ per omnia sæcula laudes, numquam adduci possum, ut credam. Quod si ad compescendam Dogmaticorum fortasse superbiam id ab se dictum conjicere velimus, non repugnabo. Nam ea sæpe magnorum virorum prudentia est, ut, quo aliorum adrogantiam salubrius reprimant, seipsos ad ima dejiciunt.



ARTIS

INQUIRENDÆ VERITATIS

LIBER IV.

De arte inquirendi veritates historicas per auctoritatem ad Criticæ leges exactam.

§. I. VEntum jam tandem ad Librum IV, eumque postremum, in quo *de arte investigandi, adsequendique veritates historicas* nobis sermo. Est & hic campus longe lateque diffusus: quippe quum narrationem spectet innumerabilium eventuum omnium temporum, omnium nationum, omniumque locorum. In eo percurrendo *mentis ratione* opus est plurima, plurimaque *critica*; ne clausis velut oculis fidem indiscriminatim cuivis adhibendo, ficta etiam, spuria, & interpolata pro realibus, ge-

genuinis, & incorruptis habeamus. Itaque si sæpe alias, heic etiam & acuitur mirifice *ingenium*, & *judicium* in veri a falso discrimine mirum in modum roboratur. Adnitantur itaque tirones, ut quæ eam in rem dicturi sumus, non ediscant solum, sed & familiaria sibi quoque reddantur. Ita quippe magnorum virorum prudentiam imitati, errores in judicando cauti declinabunt: nec *cito*, *uti fit*, *credentes*, *leves erunt corde*. Quod vitium ipsimet Scriptores sacri reprehendunt, quum monent: *Qui cito credit, levis corde est*.

CAPUT I.

De auctoritate humana, ejusque principiis generatim.

§. II. Dictum quodvis, aut scriptum, quo aut docetur aliquid, aut enarratur, *auctoritas* generatim adpellatur. Eaque duplex est, *divina* & *humana*. Nam quum Deus, tum homines & docere nos aliquid possunt, & præteritorum temporum gesta narrare. Porro de *auctoritate divina* dicam capite postremo: heic tantum de *humana*. Quam etiam ex ea dumtaxat parte spectandam adsumo, qua præterita facta, sive *veritates historicas* enarrando nobis tradit, & contestatur: quale scilicet, quantumque pondus illi insit pro diversitate circumstantiarum,

quæ ipsius narrationem, & attestationem comitantur. Quatenus enim ea docet, quæ naturalium sunt disciplinarum; sat heic dixisse fuerit, magna quidem, si de Viris illustribus sermo sit, in veneratione illam & obsequio habendam; verum tantam illi vim ac pondus ad probandum ac refellendum inesse, quantum rationes præseferunt, quibus ea aut sulcitur expresse, aut prudenti judicio & conjectura fulciri intelligitur. Alioquin *naturæ vox* audienda; quippe quæ & prima, & aliarum magistra, & semper eadem, semperque verax: quum vicissim & Ciceroni Demosthenes, & Homerus Horatio, & alii præterea aliis *dormitare* aliquando visi sint. Prudenti autem judicio humana auctoritas ratione fulciri intelligitur, quum & viri probi, & docti, & graves ii fuerint; & magna præterea studia, ac meditationes ea in re impenderint, de qua fine expressa ratione quidpiam docent, ac stabiliunt.

§. III. Quum auctoritas humana in rebus facti *principii* loco inter ratiocinandum adsumitur, conclusiones inde deductæ non ad *scientiam*, certam videlicet evidentemque cognitionem spectant, sed ad meram *fidem*, eamque humanam, quam adsensum non immerito dixeris præteritorum temporum factis exhibitum propter Historicorum, qui ea narrant, auctoritatem, & contestationem. Ita si dicam: *Romanarum rerum Historiographi mira consensione testantur, Julium Cæsarem a Bruto & Cassio in senatu fuisse trucidatum. Vere igitur ab hujusmodi*

jusmodi conjuratis Julius Cæsar necatus fuit : ea conclusio ad *humanam fidem* spectat ; in qua proinde præter *certitudinem*, aut *probabilitatem*, nulla quærenda *evidentia*. In conclusionibus namque ex iis tantummodo principiis manare *evidentia* potest, quæ *nexum* subjecti cum prædicato patefaciunt. Cujusmodi ea tantum principia sunt, quæ 1. ex *externorum sensuum experientia* : quæ 2. ex *immediata mentis intuitione* : quæ 3. ex *intimo sensu* : quæque demum 4. ex *veritatibus aliunde demonstratis*, non quæ ex *auctoritate* quacumque, sive *divina* sive *humana*, deducuntur.

§. IV. Eccur igitur, quæret heic forte aliquis, ad pervestigandas & adsequendas *veritates historicas* humana auctoritas adsumitur, si mentem e tenebris, quibus præteritorum temporum gesta obvolvuntur, in evidentiæ jubar minime deducit? Scilicet in hunc ea finem adhibetur, quia nulla alia via in illarum notitiam devenire nobis permittitur, multo minus clariori agnitione comprehendere. Non quidem *experientia* sensuum ; quia quum præteritis ea temporibus fierent, nedum ipsi non interfuimus, sed ne editi quidem fortasse in lucem eramus. Nec *ratione mentis* ac *meditatione* ; quia quum fortuita & contingentia ea facta fuerint, nullum suppetit medium, quo intelligamus, contigisse eadem potius, quam non contigisse. Nec postremo *sensu intimo* & *conscientia* ; quippe quum ad hunc tertium humanæ sapientiæ fontem ea minime pertineant,

nec ullam cum eodem relationem habeant. Quid igitur? Remeabimus ne retrogrado cursu præterita sæcula, ac ita facta ipsa propriis nosmet oculis intuebimur? Inania vota! . . . Anne in omnigenæ ignorantiæ tenebris consepulta relinquemus? Sed magnæ illæ, quæ (ut sequenti capite dicam) ex eorum studio utilitates in nos manant & commoda, non permittunt. Velimus itaque, nolimus, Historicorum attestationibus utendum, qui, quum fierent, oculati testes aderant, eorumque historiam fideli narratione ad nos demandarunt.

§. V. Principia autem, quorum vi facta credimus, quæ Historiographi nobis facta testantur, in duo generaliora facile conjici possunt. Primum: *quod in eorum cognitione & examine haud decepti sint ipsi*. Alterum: *quod nec in eorumdem narratione nos decipere voluerint*. Ubi principia isthæc ambo constiterint; quamquam de uno tantum teste sermo sit; plenam nihilominus rei gestæ fidem conciliat, quam narrat: nec, nisi præfracte, & ad libidinem in suspicionis notam adduceretur (a). Ut adeo heic intelligant ti-

(a) Alioquin in universa re historica nihil crediderimus umquam, sed aut dubiis acconsebimus omnia & incertis, aut fabulosis ac falsis. Qui sane damnabilis scepticismus est, homine dumtaxat superbo, procaci, ceterorum contemptore, nec umquam rationali & ingenuo dignus. Quare quum *facta* fluxu refluxuque perpetuo accidant in dies; dari proculdubio medium aliquod firmum, stabile, & cui adsensus omnino de-

tirones, testium multiplicitatem, non *præcise* quatenus plures sunt, sed quatenus ab hujusmodi principiis vim singuli fœnerantur ac robur, in unius ejusdemque facti narratione majorem fidem promereri. Adeo ut fidei incrementum ex iterata potius talium principiorum adplicatione, quam ex iterato testium, quibus adplicantur, numero proficisci videatur. Hinc nisi utroque, ut oportet, principio isto singuli munirentur; quamquam & centeni, & milleni etiam testes forent, ne minimum quidem probabilitatis gradum attestationibus suis conferre possent.

§. VI. Sed quibusnam indiciis dubium omne excusserimus, *Historiographos in facti cognitione & scrutinio haud fuisse deceptos*, juxta principium priori loco propositum? Scilicet si testes fuerint & coævi, & oculati, & eximiæ doctrinæ, & perspicacissimi ingenii, & judicii rigidissimi. Nam id genus testes, ac eximiis hisce dotibus exornati, quum rei gestæ intersunt, quum illam ex omni parte scrutantur attentius,

denegari non possit, quo veræ a falsis, certæ a dubiis multiplices eorum narrationes secernantur. Nisi autem medium illuc *in immunitate quum fraudis, tum illusionis* ejus, qui narrat, situm sit; ecquodnam, quæso, aliud erit? Sciscitanti vero, qua *nota* distinxerimus eum, qui in rerum gestarum narrationibus omnes indiscriminatim homines falsiloquos, ac mendaces habet? Equidem harum alterutra omnino reputarem: aut *impudentis* scilicet, aut *delirantis*, aut etiam *insani*. Quippe ut *nemo omnes*, ita *omnes neminem fallunt*.

quumque de eadem nonnisi recta judicia ferunt; in illius intelligentia, & circumstantiarum cognitione ac discrimine ab errandi periculo prorsus immunes sunt. Quæ vera adeo & indubia, ut (quemadmodum in superioribus libris sæpe dictum, ac tironibus inculcatum) in judiciis ferendis non alia nobis supersit errores declinandi via. Præditi ne vero hisce dotibus Historici fuerint, qui rerum gestarum narrationes conscripsere; ex eorumdem Operibus, aliisque scriptoribus coævis facile pervestigari, ac dignosci poterit. Ceterum sunt facta quædam, quæ tam præcellentem doctrinam, tamque ingenii perspicacitatem in testibus oculatis minime exigunt, ut in eorumdem cognitione factorum ab errore immunes censeantur. Tanta scilicet eorum evidentia esse solet, ac tam multiplici experimentorum genere comprobata! Ut magnum e. g. incendium in civitate fuisse excitatum: nimbosa grandinum tempestate agros fuisse depopulatos: ingenti concussione telluris ædificia fuisse solo æquata: verum fuisse hominem, cum quo longo dierum intervallo multi loquuti fuerint, manducarint, biberint, tetigerint, palparint, & ita porro. His namque in casibus sat erit, si iidem oculati testes non omnino hebetes, ac stupidi fuerint, nec opus præterea quavis dote alia.

§. VII. *Fuisse* autem *viros probos, nec in rerum* proinde *gestarum narratione nos decipere voluisse*; quod erat principium alterum ibidem (§. 5.) propositum; scire poterimus quum

in-

intrinsecas, tum *extrinsecas* improbitatis caussas recensendo; atque num in ipsorum, aliorumque Historicorum coævorum libris eæ inveniantur, diligenter perscrutando. Libri namque totidem linguæ sunt, ex quibus auctorum vitia, ac virtutes facile intelliguntur. Ac extrinsecæ quidem improbitatis caussæ, propter quas rerum gestarum narrationes data opera augeri, imminui, permutari, totoque molimine fingi possunt; ac ita auctæ, imminutæ, permutatæ, totoque molimine fictæ posterorum memoriæ demandari, sunt, *patriæ amor*, *adulatio*, *odium*, *timor*, *ambitio*, *pecunia*, *phanatismus*, similes. Tum intrinsecæ, *animi levitas*, *natura ad mentiendum proclivis*. Ubi aut his omnibus, aut aliquibus etiam maculatum noverimus Historiographum, mendacem illum in suis narrationibus ac deceptorem, nec ulla fide dignum reputabimus. Veracem, contra, sincerum, & cui merito plena sit fides præstanda, si ab omnibus, ac singulis eisdem improbitatis, malæque fidei caussis immunis fuerit.

§. VIII. Hæc de *oculatorum* testium fide, eorumque narrationum certitudine. Quidnam vero de *supparium*, ac subsequentium sæculorum? Scilicet (quod alta heic mente reponendum) *centrum omnis credibilitatis in historia humana*, ex quo scilicet tam in suppares, sive rei gestæ viciniores, quam in subsequentium ætatum Historicos fides velut in orbem manat ac funditur, ipsos esse testes & coævos, & oculatos, & doctos, & perspicacissimi ingenii, & judicii ri-

rigidissimi, & probatæ demum sinceritatis, ac probitatis. Nam eatenus hi fidem promerentur, quatenus ab eisdem coævis, & oculatis narrationes suas hausisse intelliguntur. Alioquin pertimescendum semper, ne aut ex incerto, impuroque fonte illas hauserint; aut successione saltem temporum, & orali traditione res ipsa gesta, ejusque præsertim comitantes circumstantiæ auctæ, uti fit, imminutæ, aut permutatæ prorsus fuerint. Quid igitur de *apostolicis traditionibus*, quæ calamo minime exaratæ, nisi a Patribus secundi, tertii, aliorumque subsequentium Ecclesiæ sæculorum? Scilicet ab hac suspicionis lege eximendæ; quia quum urgentia nimis eas retinendi, nec immutandi essent Apostolorum præcepta fidelibus inculcata; sollicita hi cura, moribus, ritibus, ac professione incorruptas servavere, ac Patribus, qui literis postea consignarunt, velut per manus demandavere.

§. IX. Ceterum (ut ad institutum regrediamur) quum suppares, ac subsequentium continuo sæculorum Historici, præsertim emunctæ naris, & criticæ severioris, coævorum narrationes & recipiunt, & probant, & posterorum memoriæ committunt; ac ita earum *integritatem*, ac *genuinitatem* cuivis ætati testificantur; magnam illis proculdubio vim ac pondus adjiciunt. Adeo ut vel obtusi prorsus plumbeique ingenii, vel maxime superbi ac pervicacis sit, adversus talem tantamque testium nubem easdem in suspicionis notam adducere. Idque præsertim, si rerum gestarum, quæ ab illis

enar-

enarrantur, rudera quædam, fragmenta, epitaphia, similia vetustatis monumenta, ut in romanorum victoriis, adhuc supersint. Hæc, inquam, & similia non tam *negare*, idest, *cum ratione rejicere* est, quam *negare velle*, scilicet *ex pertinacia non recipere*. Quod nisi viro philosopho indignum, ecquidnam aliud erit?

§. X. Ea igitur ambabus semper ulnis excipienda; quamquam centenæ sæculorum myriades, ut ita dicam, elapsæ forent. Nam quod nonnullis creditum, rerum gestarum certitudinem temporum successione imminui, ac tandem post binas circiter sæculorum decades prorsus evanescere; id aut joco dictum putaverim, aut ea tantum in hypothesi, in qua *genuinæ* & *authenticæ* coævorum historiæ vel interierint prorsus, vel maxime corruptæ ac interpolatæ fuerint. Alioquin non video, quomodo tam putida errorum figmenta cuiquam in mentem venire potuerint. Si enim veritas semper eadem: si oculares, genuinæ, ac veraces illius attestationes minime corruptæ & immutatæ: eccur non eadem quoque certitudo, non eadem semper fides illis adhibenda? Belle! Si *criticæ artis* istiusmodi dehonestamentum staret, nedum primitiva certitudine, sed & omni etiam probabilitate excidissent jam facta omnia, quæ quartum, aut quintum ante Christum sæculum præcessere. Quin ne homines quidem eadem de causa extitisse sciremus, quos ante ea tempora vixisse, ac floruisse narrat historia quum sacra tum profana. Quis temperet a risu? ....

CA-

CAPUT II.

De utilitate inquirendi, ac perdiscendi veritates historicas : & delectu, ac præcautionibus, necnon mediis in eo studio adhibendis.

§. XI. *Veritatum historicarum*, sive *Historiæ* generatim studia nullo non tempore viris doctis utilissima visa, & inculcata. Quin & hebræis magna emphasi inculcat Moyses Deut. XXXII. 7 : *Memento dierum antiquorum : cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi : majores tuos, & dicent tibi*. Inculcat ea vero, ut memores mirabilium, quæ fecit Dominus in terra Ægypti, ut illos e Pharaonis tyrannide liberaret ; & quemadmodum in deserto *custodivit sicut pupillam oculi sui* ; mores, vivendique rationem ad *pietatis*, & *gratitudinis* erga Deum *officia*, quæ jam perverterant, revocaret. Prima itaque historicorum utilitas studiorum in eo constituta, ut intentissimam Dei curam ac providentiam in Ecclesiæ suæ regimine ab Abel justo ad hæc usque nostra tempora in memoriam revocantes, in gratiarum actione, morumque puritate & sanctitate maneamus (*a*). Quæ si alicui

(a) Legi heic omnino meretur eximium opusculum

alicui ceteris fortasse minor utilitas videatur; maximam ego contra, nec cum quavis alia comparandam existimo. Sic enim animo ex perpetua methodo constitutus sum, ut quæ moribus ad pietatem & sanctitatem componendis sunt maxime aptata, ea ceteris anteponenda censeam. Præsertim quum qui ex animi sinceritate & candore *pius religiosus* fuerit, is & *utilis civis*, & *homo* pariter *honestus* esse oporteat. Quo in loco opportune mentem subit, quod lepide non minus, quam veraciter quidam ajebat

---

lum illustriss. præsulis Benigni Bossuetii, cui titulus: *Discorso sulla Storia universale*, in quo magna, ut solet, eloquentia, doctrina, & eruditione ob oculos ponit, Ecclesiam, licet sæpissime, ac supra modum crudeliter, acerbissimeque vexatam; sub ipsa nihilominus immanissima tyrannide nedum numquam desiisse prorsus; sed &, protegente Deo, magis magisque floruisse in dies, finesque suos longe lateque prolatasse: interea dum regna vicissim, & imperia, quæ amplitudine, majestate, ac stabilitate sua æternum duratura videbantur, fluxu refluxuque continuo interiere omnia, ac fracta prorsus & comminuta cecidere. Quibus sane intelligimus, 1. nihil esse in humanis stabile ac firmum, sed temporanea omnia atque caduca: 2. religionem Deum habere auctorem, ac protectorem: ideoque 3. ad sæculorum consummationem perpetuo fore illam duraturam: tum denique 4. esse veram, sanctam, & quæ sola beare hominem potest quum heic, tum multo perfectius, & cumulatius in altera vita.

ajebat; eos scilicet, qui hominis *naturæ animalis* commoda & utilitates utilitatibus & commodis *naturæ* ejusdem *rationalis* anteponunt, plus *genere* abundare hominis, quam *specie*. Quæ lepida, ut dixi, & vera.

§. XII. Sed & magno quoque incitamento hæc nobis studia sunt ad illustrium virorum virtutes imitandas, atque ad improborum vitia præcavenda, dum ad inexorabile *Historiæ* tribunal hos sempiterna infamia notatos, illos contra summis laudibus ad sydera evectos observamus. Quæ adeo vera sunt, ut ea via nonnulli invicti duces aliorum æmulatione evaserint: alii pastores eximii: alii optimi principes: alii doctores egregii: alii præcelsæ sanctitatis viri: alii virtutibus aliis præclari. Atque ut unum vel alterum exemplum adferam, æmulatione Ulyssis apud Homerum, cujus *Iliadem* nocturna manu versabat, quum non posset diurna, ad totius orbis imperium anhelabat Alexander Macedo. Alexandri exemplo, cujus vitam ac res præclare gestas sæpe pervolutabat, romanam remp. ditioni suæ subjecit Julius Cæsar. Hujus *Commentariorum* lectione incensus Solinus turcarum imperator, a majoribus collata sibi regna mirum in modum per Asiam, & Africam prolatavit. Nec optimi principis gloriam adeptus est Carolus V. imperator, nisi lectione adsidua vitæ Aloysii XI. quam in deliciis habebat. Ac generatim æmulatione præcedentium Ecclesiæ pastorum, doctorum item, ac sanctorum virorum, qui saluberrimis institutis,

do-

doctrina, ac virtutibus præterita sæcula collustrarunt, alii commissum sibi gregem sanctissime gubernarunt: alii literis incubuere impensius; ac spretis mundi illecebris alii *in novitate vitæ* se Deo consacrarunt. Quorum exemplis *Historia ecclesiastica* plena est universa.

§. XIII. Nec minor utilitas censenda, quam ex eodem studio *Religio* mutuatur. Enimvero quum bona Historiæ pars in eo tota occupetur, ut scientias omnes, & artes sua habere commonstret incunabula, eaque multo etiam recentiora, quam Ægyptii fabulentur: hinc solius etiam Historiæ lectione, ac citra Philosophiæ præsidia intelligi potest, mundum hunc adspectabilem haud esse æternum, sed nedum in tempore, verum & satis quoque recenter ex nihilo conditum, ac conditum quidem illum a Mente sapientissima, ac potentissima; quum ob admirabilem illius ordinem, pulcritudinem, & harmoniam esse nequeat nisi *opus summi consilii*, *ac sapientiæ infinitæ*. Sane quid causæ fuisse dixerimus, ut quæ paucis ab hinc annorum millibus sensim sensimque inventa ac perpolita sunt, latere ea homines potuerint per interminabiles retro æternitates? Qui adeo rudes, stupidi, plumbeique ingenii per infinita sæcula esse illi potuere, ut miserrimam vitam degerent sine *Astronomia*, sine *Nautica*, sine *Medicina*, sine *Jurisprudentia*, ac sine illarum omnium quum liberalium, tum mechanicarum artium præsidio & emolumento, quibus humana societas nunc tan-

tantopere fruitur, & oblectatur? Sed nedum *atheismi* falsitate, verum & continuo etiam regnorum fluxu ac refluxu, interea dum Religio semper eadem perseverare conspicitur, ejusdem firmitatem, divinamque protectionem Historia commostrat; quemadmodum mox diximus in superiori *adnotatione* (ad §. XI.).

§. XIV. Mitto historicorum studiorum utilitates alias, animique oblectationes. Atque *delectum* modo quod spectat, illas historias in primis legendas velim, ex quibus hujusmodi emolumenta facilius non minus, quam promptius & uberius capi poterunt. In omni quippe studio ea semper in deligendo prudentia adhibenda, ut breviori, quoad fieri potest, tempore ac labore major utilitas capiatur. Scilicet contendendum semper ad majorem possibilem utilitatem minori possibili tempore ac labore nanciscendam. Deinde inter tot nationum historias ceteris præferenda, quæ propriæ nationis originem, progressum, mores, regimen, leges, religionem, inventa, solum, commercia, scientias, artes, situs, climata, characteres ceteros ob oculos ponit. Nam in aliarum nationum historia annosa impendere studia; propriæ autem vel negligere prorsus, vel summis tantum labiis delibare; id & sua non curantis est, & judicantis præpostere. Itaque consulendæ ceterarum notionum historiæ, sed postquam *domesticam* non perlustravimus modo, sed & tenaci memoriæ commisimus, atque di-

gessimus. *Turpe est* enim, *ut aliena sciamus*, *nostra nescire* (*a*).

§. XV. Adeamus & *præcautiones* eodem in studio adhibendas. Ac primum cavendum, ne *Ecclesiastica historia* in Deistarum, aut Hæreticorum operibus legatur. Quum enim priores in *revelatam*, posteriores autem in *catholicam religionem* odio æstuent implacabili; nullumque non moveant lapidem, ut fastorum ejus gloriam ac splendorem, si fieri potest, deprimant; deest consequenter illis *indifferentiæ*, sive *impartialis judicii* character, sine quo tamquam improbi ac deceptores nullam fidem promerentur (§. 7.). Horum itaque lectio aut devitanda prorsus, aut cum viri catholici, itemque docti, ac perspicacis *adnotationibus*, & *apologiis* conjungenda. Deinde præferendi semper Historici & coævi, & oculati,

(a) Simile præjudicium, sive potius phanatismum per incautam juventutem grassari videmus in studio *linguæ gallicæ*. Nihil umquam se didicisse credunt, nisi *gallice* garriant. Interim in *latino*, & *italico idiomate*, quorum utrumque & patrium, & domesticum, & plusquam quodvis aliud præclarum, nulla interest, si de more *rudes* sint, *inculti*, *barbari*! Incredibilia hæc videri possent, nisi in dies observaremus. Porro cultarum nationum linguas callere, & bonum, & utile, & decorum. Domesticam autem, conveniens prætereа, & necessarium. Percolamus aliena: sed postquam nostra decenter exculta, perpolita, ac perfecta fuerint. Id enim *judicium*, ea *prudentia*: cetera *inconsulta*, & *incogitata*...

& ceteris præterea doribus præditi, quas præcedenti capite (§. *6. 7.*) enarravimus. Nam hi pleniſſimam fidem faciunt rebus geſtis, quas narrant. Ubi autem coævi, & oculati haberi non poſſunt, ex ſupparibus, ac ſubſequentium ætatum Hiſtoricis ſeligendi ſemper, qui acriori ingenio, eximiaque doctrina, ac judicio rigidiore cum animi probitate pollentes, originarios ipſi fontes, teſteſque coævos & oculatos conſuluere. Nam hi ceteris & cautiores ſunt, ne decipiantur ipſi; & multo ſinceriores, ne alii in errorem ipſorum cauſa inducantur.

§. XVI. Supereſt tandem, ut *media* proponamus, quibus rerum hiſtoricarum ſtudia & faciliora reddantur, & utiliora. Ea autem triplici ſunt in claſſe conſtituta. Principio opus eſt *adcurata analyſi*, ſine qua in hiſtoria perturbata omnia & confuſa, tamquam neceſſaria partium diviſione, ac ſubdiviſione carentia. Quare ſervandæ heic *diviſionis regulæ*, quas priori Libro (§. *94.*) tradidimus. Deinde juvat plurimum quum firmandæ memoriæ, tum intelligentiæ colluſtrandæ, regionis, cujus hiſtoriam perluſtramus, ob oculos *mappam habere geographicam*; ac facta, quæ referuntur, iis locis alligare, in quibus ea olim contigiſſe narrantur: quæ *memoria localis* vulgo dicta. Rurſus idem judicium ferendum de *tabula chronologica*, in qua juxta ordinem temporum eadem facta diſponantur. Nam ut per *geographicam mappam* locorum confuſio, ita & confuſio temporum

porum per *tabulam chronologicam* devitatur. Quæ adeo vera sunt, ut initio *Dissert. chronologicar.* scite scripserit Vossius: *Sunt Geographia, & Chronologia germanæ sorores, imo quasi ocelli duo Historiæ; quorum altero si orbetur, lusca fiat; utroque extincto, cæca sit prorsus.* Nec denique prætereundum, in eo studii genere ingentem prorsus utilitatem adferre *loca* quædam *communia* in foliis seorsum distincta & exarata, in quibus 1. illustriora quorumdam facinora: 2. dicta pulcriora, & argutiora: 3. demum consilia salubriora, quæ in percurrenda historia per vices ocurrerint, cum *nota temporis* adnotentur. Nam dum ea postmodum perleguntur, brevi in memoriam revocamus, quidquid pulcrius, quidquid utilius, atque præstantius longo tempore ac labore didicimus (*a*).

(a) Id genus *miscellanea* quamquam nullo plerumque sint inter se ordine, ac nexu colligata; spectari nihilominus debent velut *collectiones* eorum omnium, quæ in genuinis operibus pulcritudine sua, præstantia, & utilitate primas partes gerunt; & quæ sunt velut *totius operæ pretium*, *succus*, *spiritus*, & *anima*. Quinimmo illud etiam habent commodi, ut, quum seorsum in foliis, in quibus per vices exarata, leguntur, *attractione* quadam, uti superius (Lib. III. §. 17.) dictum, ea in mentem revocent, quibus in autographis operibus adsociata simul erant, & colligata. Quare optandum maxime foret, ut non historici modo, sed & cujusvis Libri sive sacri, & ecclesiastici, sive profani lectio ac studium ab hujusmodi præstantiorum locorum, quæ per vices in illis occurrunt, *collectionibus* numquam esset disjunctum.

CAPUT III.

De artis criticæ natura, deque illius necessitate, ac moderamine in investigatione veritatum historicarum ope auctoritatis humanæ.

§. XVII. ARS *critica* est, quæ docet, quemadmodum de Operibus ingenio partis, deque factis historicis judicia pro merito ferre debeamus. Est itaque in primis *ars critica* velut diligens *exploratrix* accidentium omnium, quæ in quævis Opera sive *historica*, sive *dogmatica* irrepere possunt. Quocirca ad ejus tribunal spectat diligenter primum investigare, tum impartiali incorruptoque judicio sententiam ferre, sint ne ea Opera genuina, an apocrypha: recentia, an vetusta: integra, an mutilata, an aucta, an permutata: ullisne erroribus, an nullis, aut levioribus tantum fœdata: confusa, an in ordinem digesta: manca, an redundantia, ac verbosa: cultone, an rudi, an mediocri stylo contexta: selectiori, an vulgari, an etiam importuna eruditione referta: alia id genus plurima quum *historicis*, tum *dogmaticis* Operibus communia.

§. XVIII. Sed in dogmaticis *critica* quoque observatio, eaque fortasse præcipua fuerit, si quæ in illis demonstranda proponuntur, robustone ac nervoso, an vacillanti & infirmo ratio-

tiocinio ſint demonſtrata. Tum quæ in contrarium a viris doctis fuere propoſita, ſolidane, an perfunctoria, aut nulla etiam ſolutione rejecta. Quo in loco caſtiganda quorumdam Recentiorum opinio eſt, qui jus, neſcio quod, novum, ac imo noxium ſibi adrogandum putant, ut, quum aliquid ſibi demonſtraſſe videntur, ſoluti ab omni onere eſſe velint quaslibet in oppoſitum graviores difficultates (de cavillis namque, quos refellere ſapientum dedecet gravitatem, heic non loquor) evolvendi, ac refutandi. Caſtiganda, inquam. Nam vel 1. inertium, & imperitorum ea præſumptio eſt: vel 2. de ſe nimis alte, de aliis contra nimis abjecte ſentientium: vel 3. oppoſitos etiam tacite foventium errores: vel 4. juvenum ſaltem indigentias parum, aut nihil omnino curantium.

§. XIX. Principio enim inertes tamquam laboris impatientes; imperiti vero, tamquam neceſſaria doctrina & ingenio deſtituti, prætextu *adlatæ demonſtrationis*, eas difficultates ultro prætermittunt. Deinde qui de ſe nimis alte ſuperbeque ſentiunt, aliorum cogitata vel memorare ſolum dedignantur; atque tamquam inepta ac vana, quacumque fulciantur ratione, contemnunt. Quod quum faciunt, minime advertunt, in paralogiſmos, ac ſophiſmata ipſamet ſumma non raro ingenia turpiter incidiſſe, interea dum perſpicuas, adcurataſque demonſtrationes protuliſſe ſe arbitrabantur. Nec raro eveniſſe, ut quæ demonſtrationum habeban-

tur loco, quum ab aliis, tum etiam a semetipsis, maturiori adhibito postmodum examine, *argumentis mere probabilibus* adjecta fuerint. Rursus qui oppositos errores aperta fronte profiteri, aliosque docere verentur, eo etiam callido silentio uti solent. Quinimmo horum nonnulli ulterius prætergressi, ac dolum dolo adjicientes, contraria argumenta refellere quidem se videri volunt; ast (proh fraudem, malamque fidem!) quum eorum vim ac pondus, quoad possunt, in immensum adaugent, solutiones contra tantumdem deprimunt. Est hæc venena propinandi ars impiis, & hypocritis familiarissima. Postremo in idem damnabilis silentii vitium ruunt, qui juvenum indigentias parum curant. Quippe qui dum in graviores hujusmodi difficultates incidunt, valde concutiuntur: atque inscii, quanam via eo labyrintho evadere possint, in maximam idearum confusionem prolabuntur; ac in oppositos persæpe errores, præsertim si mores, aut religionem spectent, procliviores fiunt.

§. XX. Quæ quum ita sint, diligentis, periti, humilis, probi, sinceri, atque juvenum emolumenta curantis scriptoris dogmatici inviolabile munus fuerit, nedum adoptatas a se opiniones firmissimis solidare ratiociniis; sed & a gravioribus quoque adversariorum objectamentis acerrime vindicare. Sic enim censeo, non quum horum alterutrum, sed quum utrumque simul serio, adcurateque expletum fuerit, tunc demum veritatem plane, cumulateque fore

re demonſtratam. Quid vero, inquiet forte aliquis, ſi id genus difficultates enodari non poſſint? Eſt hæc puerilis, viroque philoſopho indigna excuſatio. Nam nihil eorum, quibus veritas oppugnatur, indiſſolubile prorſus fuit umquam, eritque in ævum. Peccet enim, neceſſe eſt, vel 1. *in principio*: vel 2. *in adplicatione*: vel 3. *in illatione* ipſa. Veritas namque veritati non contradicit, ſed altera alteram firmat, ac omnes amico inter ſe fœdere copulantur. Adhibenda itaque *meditatio*, eaque ſeria, pacata, longa, iterata, intenta. Difficillimum quippe fuerit, poſt longas adcuratasque id genus *meditationes* ſuper *principium*, *adplicationem*, ac *illationem* ſeorſum initas, haud tandem prodire debere locum, ubi obtruſi contra veritatem argumenti vitium cubet, ac deliteſcat. Ac ſi ne his quidem mediis falſitatis latibulum detegi aliquando poterit; prudentius, ac laudabilius tunc longe fuerit eam rem calamo non attingere, altoque præterire ſilentio, quam graviores difficultates inſolutas relinquendo, ea detrimenta lectoribus, ac in primis inexpertis juvenibus adferre, quæ memorata fuere. Minus quippe noxium eſt reticere verum, quam validiſſimas de eo hæſitandi cauſas & incitamenta præbere.

§. XXI. Sed hæc *parergi* fere loco dicta volo. Quare ad inſtitutum (§. 17.) redeuntes, *in factis hiſtoricis* criticæ artis quoque munus fuerit inveſtigare diligenter, atque æquo judicio decernere; ſint ne illa poſſibilia, an im-

possibilia, ac repugnantia: rebus, quibus adscribuntur, congruentia, an minus aptata: vera, an ficta, an fabulosa, an parabolica: integra, an aucta, an mutilata: genuina, an apocrypha: certa, an probabilia, an incerta: continuo sæculorum fluxu ab omnibus probata, an aliquando rejecta: naturalia, an supernaturalia, an superstitiosa: alia hujusmodi. Nec tamen ea tantummodo. Enimvero in historicos, qui ea facta narrant, ad eamdem *criticam* inquisitio ac determinatio pertinet, coævine tantum ii fuerint, an etiam oculati: suppares, factoque viciniores, an recentes, ab eoque remotiores: unus, an plures: probi, an improbi, & mendaces: perspicaces, an socordes: docti, an rudes: in judicando cauti, an facile creduli: alterutri potius, an neutri omnino parti addicti: fide digni, an indigni: similia.

§. XXII. Hinc nedum utilitas, sed & necessitas longe lateque patet *artis criticæ*, si sæpe alias, in veritatum præcipue *historicarum* inquisitione. Quum enim non historici solum, sed & facta quoque ipsa, quæ narrant, ex tam variis, tamque multiplicibus lateribus spectari possint; atque singulis in casibus variare oporteat judicia ipsa, & quamnam in illis fidem promereantur, determinare: consequens est, diligentem earumdem veritatum exploratorem *multa critica* præditum esse oportere, si quidem in judicando errores declinare, atque ipsiusmet *criticæ* severitatem, justamque reprehensionem eva-

evadere voluerit. Quid quod vel in Scripturis sanctis ea ars commendata omnibus, & inculcata? Sane Ecclesiastic. XIX. tamquam omni prudentia, judicioque destituti traducuntur ii, qui narrationibus, quas audiunt, sine prævio *critico* examine statim fidem adhibent. Scilicet, uti superius adnotatum: *Qui credit cito, levis corde est*. Et Apostolus fideles enixe precatur Rom. XII. ut suæmet prædicationi evangelicæ non cæcum ac brutum, sed *rationabile*, ad sanioris nimirum criticæ leges exactum, *obsequium* præbeant. Mitto cetera.

§. XXIII. Jamvero si *ars critica* tantopere necessaria est in studio potissimum *veritatum historicarum*; postulat ea simul in *viro critico* magnum in primis *ingenii acumen*, & perspicacitatem: tum parem *judicii prudentiam*, & æquitatem; ut & versare diligenter ex omni parte, scrutari intimitus, ac plane internoscere quum facta eorumque circumstantias, tum historicorum indolem & characteres possit; atque pro merito justa, impartialia, & ab omni affectu libera judicia ferre. Ex quibus intelligimus, puram, ac germanam *criticæ* praxim magnorum esse virorum annosis studiis, & exercitationibus subactorum. Juvenes enim rigidi, pacatique examinis suapte natura impatientes, ac facile creduli, quaslibet simul, & quorumlibet narrationes pleno gurgite, oculisque clausis ebibunt. Optandum nihilominus, ut *criticis exercitationibus* paullatim hi adsuescant, saltem in *vita civili*: in qua æque, sin potius fortasse magis

magis, ea ars necessaria. Ac necessaria quidem nedum in iis civium factis, quæ tametsi recentia, tametsi eadem in civitate gesta, tametsi a pluribus etiam simul visa; mille tamen, ac variis modis eadem die enarrantur; sed & multo magis circa obtrectationes, quibus aliorum fama facile, & inique dilaceratur. Ita quippe & ad sublimioris *criticæ habitum* contrahendum promptiores, ac paratiores paullatim fiunt; & fabulatorum interea levitatem, ac mordacitatem improborum coarguent modeste simul, ac declinabunt. Sit ipsis in societate familiarissimum pulcherrimum, maximeque argutum illud adversus fabulosas & commentitias novitates omnes, quæ per desides quosdam, garrulos, hominesque nihili in dies prodire solent, *italice* expressum: IN LAZZARETTO . . . . IN QUARANTANA . . . . ut quadragenaria videlicet mora, ullane falsitatis peste inficiantur, palam fiat.

§. XXIV. Quum autem *criticam artem* tantopere inculcamus, tamquam præstantissimam animi dotem, cum qua in investigando diligentes, & in credendo cauti reddimur; & sine qua propriam socordiam, ac levitatem non sine sapientum mussitationibus indicamus; absit, quis in animum inducat suum, de eo judicandi genere nobis heic esse sermonem, quo quidam obtrectatores aliena insectantur lingua mordaci, & plena probris. Ea namque non *critica*, innocens nimirum illa recte, prudenterque judicandi magistra, ingenuorum virorum propria,

adpellanda est; sed *satyra*, dirus videlicet aliorum mores, ac famam dilacerandi carnifex, qua mordaces oblectantur, & invidi. Quinimmo *veram criticam* commendantes ex animo, eos quoque in illa reprobamus excessus, in quos intemperantiores quidam, & efferatiores Critici dilabuntur, dum sophisticis quibusdam cavillis aut ea probant, quæ rejicienda forent; aut rejiciunt, quæ forent probanda; aut denique paribus, quin & eisdem quandoque in casibus probatiores criticæ canones nunc complectuntur avidius, nunc ad libidinem deserunt. Et hos, inquam, inordinatos criticæ abusus improbamus: optantes, ut quæ pro opportunitate illius præcepta adhibentur, *recta* in primis *ratio* commendet: tum *sensus* probet optimorum *communis*: ac circumstantiæ postremo exigant, quibus aptantur.

CAPUT IV.

De Criticæ artis usu in secernendis genuinis scriptorum Operibus a spuriis, & nothis.

§. XXV. Ad *Criticam* spectare examen de librorum quorumcumque genuinitate, & integritate, adnotatum capite præcedenti (§. 17.). Præmittendum quoque idem librorum examen criticæ præceptis, quæ peculiarem historicorum indolem, & narrationum

num circumſtantias ſpectant, non eſt in dubio. Quum enim ex iiſdem illæ libris eruendæ ſint; neceſſe proculdubio erit eorum genuinitatem, & integritatem prius perſpectam habere: alioquin incerta erunt omnia, narrationes ipſæ, narrationum circumſtantiæ, auctorum characteres, cetera.

§. XXVI. *Genuinum* opus adpello, quod ab eodem auctore ſcriptum fuit, cujus nomen titulus præfefert. Contra vero *apocryphum*, quod ab alio ſcriptum fuit auctore, quam ejuſdem titulus præſeferat. *Genuinum* dicitur etiam *authenticum*, & *autographum*; quemadmodum & *apocryphum*, *ſpurium*, *ſuppoſititium*, *nothum*, *adſutum*, ac ita porro adpellatur. Quorumdam impoſtorum mos olim fuit, eſtque etiamnum hodie, librorum a ſe conſcriptorum titulis non proprium, ſed aliorum illuſtrium virorum nomina præfigere; ut majorem illis auctoritatem, famam, ac pondus concilient. Quum enim conſcientia ipſa propriæ levitatis, aut imperitiæ, vel etiam infamiæ invincibiliter eos revincat, atque coarguat; verentur ob id aperta fronte in publicum prodire: atque magnorum idcirco virorum nominibus abutuntur, ut & diſtrahere exemplaria facilius poſſint, & incautis, ac imperitis ſecurius imponere. Id genus eſt infamis libellus a ſceptico homine publicam in lucem editus, cujus titulo *de imbecillitate mentis humanæ* illuſtre magni præſulis Huetii nomen mendaci calamo præfigendum putavit. Qua de re legendus L. A. Muratorius in contrario opu-

opuſculo, cui titulus: *Forze dell' intendimento humano* (a).

§. XXVIII. *Integrum* vocatur opus, cui aliena manu nihil additum umquam fuit, nihil detractum. Contra vero *corruptum*, cui externa

(a) Quum pſeudo-huetiani opuſculi hujus in ſuperioribus Libris ſæpe meminerim, atque magni viri L. A. Muratorii judicio ſubſcribendo velut ſpurium illud, ac nothum ubique rejecerim; monitos heic tandem volo tirones, animo non ſatis certo ac firmo, ſed nonnihil vacillanti & ancipiti id ſemper a me factum. Quum enim genuinum, omniumque judicio autographum ipſius opuſculum aliud inſcriptum: *Cenſura fatta Filoſofia carteſiana*, ſæpe perluſtraverim attente, atque cum hoc *de imbecillitate mentis humanæ* diligenter contulerim; idem cavillandi genus (a quo illuſtris proculdubio Præſul omnino non abhorrebat) viſum eſt mihi utrobique cernere & adnotare. Hinc ~~ea~~ dubitatio oborta, ab ſe adhuc fortaſſe juvene, ingenioque, uti fit, luxuriante illud potuiſſe componi; tum ætate non minus quam ſtudiis maturum, & in *Dem. evangelica*, & in *Quæſt. alnetanis*, quæ *Concordia rationis & fidei* ſimul inſcribuntur, tacito ſaltem calamo rejeciſſe illud, & improbaſſe, aut caſtigaſſe ſaltem, & emendaſſe. Quippe eximiis his in Operibus *humana ratio* primas ubique partes habet in præſtabiliendis firmandiſque principiis, quibus ſuperſtruuntur; ac modo *ancilla*, modoque *pediſſequa revelationis*, *divinæque fidei* ab eodem auctore adpellatur. Ceterum quum has internas animi mei ſuſpiciones ex ingenito candore tirones haud latere volui, doctiorum Criticorum judicio lubenter me committo. Nolo enim opinari.

na manu vel additum fuit aliquid, vel ablatum. Mutilatio, æque ac additio, sive interpolatio alicujus operis quum fraudolentæ manus externæ indicia esse possunt, tum ab omni fraude, doloque malo alienæ. Ac mutilari quidem ex fraude libri possunt, quum eæ illis detrahuntur partes, in quibus proprii errores confodiuntur. Interpolari item ex dolo, in quibus iidem errores inseruntur, ac disseminantur. Sine dolo autem mutilatio fit, quum aut ab erroribus quos continent, expurgantur; aut resecantur plura, quæ inutilia, ac supervacanea videntur. Fit etiam interpolatio sine dolo, quum ea illis adduntur, quæ a suis auctoribus omissa, scitu tamen utilia ac necessaria putantur. Ceterum parvæ quandoque mutilationes, unius e. g. aut alterius lineæ, amanuensium, ac typographorum oscitantia & incuria in opera sive MSS. sive typis edita facile etiam inducuntur. Eadem de causa induci leviores quidam, & accidentales mutationes possunt; quæ ubi substantiam ac sensum non variant, nihili faciendæ sunt. In neapolitana Vallemontii editione 1770. plura juvenum commodo, & utilitati aliena manu addita sunt. Plura vicissim ex *Jure naturæ*, *& gentium* Heinnecii in recenti editione pariter neapolitana detracta ac mutilata; quia & eisdem juvenibus minus utilia ac necessaria, & a *Jure naturæ* prorsus extranea & aliena visa fuere (Lib. III. §. 78.). Interim optandum, ut id genus mutilationes, & ab erroribus expurga-

gationes omnibus in operibus fierent, quæ cum pluribus inutilibus, & falsis, & impiis etiam eximia multa, & præclara complectuntur. Ita quippe & communis eorum lectio redderetur; & omnibus maxime utilitati ea forent, & emolumento, ne excepto quidem infami *Dictionario historico-critico* Petri Bayle; in quo bona multa, & egregia tamquam aurum in sterquilinio continentur.

§. XXVIII. Quum igitur librorum inscriptiones ac tituli cum adpositis auctorum nominibus impostorum opera (§. 26.) suspecti jam evaserint; quænam præcepta *ars critica* suppeditat, quibus de illorum genuinitate, & autographia certi, tutique reddamur? Scilicet ea ipsa in primis, quibus, ut alibi (*Verit. resurr. J. C.* tom. II. §. 580. in *nota*) a nobis observatum, usus est olim S. Augustinus contra Faustum. *Constans* nimirum *traditio* scriptorum, qui ab ea ætate ad hæc usque nostra tempora floruerunt. Nam dum hi in idem judicium conspirant omnes, datumque opus uni eidemque auctori omnes adtribuunt; nulla prorsus de illius genuinitate superest ambigendi suspicio. Atque istuc quidem potissimum, fereque unicum medium est, quo Platonis e. g. Tullii, Varronis, Cæsaris item, Terentii, Virgilii, Horatii, aliorum opera ipsorum respective fœtus esse non dubitamus. Idem quoque posteris futurum medium erit, ut quæ hoc sæculo conscribuntur opera, & in lucem eduntur, propriis eorum auctoribus prudenti, veracique judicio ad-

adtribuant; atteſtatio ſcilicet præſentium, aliorumque ſucceſſione continua per futura ſæcula ſubſequentium ſcriptorum.

§. XXIX. Alterum mendaces librorum titulos a veracibus, ac genuinos conſequenter libros a ſuppoſititiis ſecernendi præceptum ſitum in *identitate ſtyli* cum eo, quo cetera ejuſdem ſcriptoris opera, de quorum autographia non ambigitur, ſcripta ſunt. Haud me latet, plura eſſe in eadem præcipue etate elaborata opera, in quibus magna ſtyli uniformitas obſervatur; quum nihilominus conſtet, non unius ejuſdemque, ſed auctorum ea eſſe plane diverſorum. Verum ſi paullo adcuratior inter eadem collatio & examen ineatur, pluribus in locis diverſitatis indicia plura in oculos incurrent: adeo ut difficillimum prorſus fuerit eamdem ubique vocabulorum proprietatem, eumdem verborum complexum, eumdem ornatum, eaſdem formulas, eamdem dicendi energiam, eamdem venuſtatem, eadem ubique cetera ad amuſſim invenire. Scilicet ſi ullibi verum, quod Leibnitianis creditum, *nulla eſſe entia indiſcernibilia*, ſive inter ſe ſimillima; loquendi proculdubio, ſcribendique ſtylo id unice aptandum.

§. XXX. Ceterum ſi *ſtyli identitas* magnum pro identitate ſcriptoris nobis eſt argumentum; abſit, quis e contrario colligat, *ſtyli diverſitatem* indicium quoque eſſe diverſorum ſcriptorum. Conſtat namque, in uno eodemque auctore ſtylum eo evadere cultiorem, & venu-
ſtio-

ftiorem, quo ad provectiorem ætatem, & ad ftudia maturiora properare folet. Ætas quippe, fi ftudia quidem ac meditationes minime intermittantur, omnia corrigit, omnia perpolit, omnia in meliorem ac præftantiorem formam difponit. Nec argumenta omnia uno eodemque pertractari poffunt ftylo. Hinc aliter a Cicerone fcripta Opera *philofophica*, aliter *oratoria*, aliter *familiaria*. Nec prætereundum, ad animi relaxationem, & lectoris oblectamentum eodem in libro data opera ftylum quandoque ab auctore immutari. Quo fpectat Gregorii M. illud *Moral.* lib. XI. cap. 1: *Immutationem ftyli, lector mi, æquanimiter accipe: quia & fæpe eofdem cibos edentibus diverfitas placet coctionis.*

§. XXXI. Quid fi 1. alia auctorum nomina in recentiorum exemplariorum infcriptionibus legantur, alia in vetuftiorum? Quid fi 2. fcriptores felectioris doctrinæ, & eruditionis peritiffimos fuiffe fciamus; opera interim ipfa, quæ illis tribuuntur, exfucca fint, inepta, doctoque viro indigna? Quid fi viciffim 3. opera quidem ipfa eximiam doctrinam contineant; illos autem, quibus ea infcribuntur, rudes fuiffe conftet, & imperitos? Quid fi demum 4. a nonnullis vetuftis fcriptoribus de illorum autographia aliquando fuerit addubitatum?

§. XXXII. Ad fingula refpondendum. Ad primum. Diligenti, adcuratoque examini ea infcriptionum immutatio fubjicienda, atque maturo ferioque judicio pervidendum, a quibus, quo tempore, & quibufnam de caufis ea acta fuerit. Nam

si, qui auctorum nomina in operibus immutarunt, homines fuerint multa doctrina, & critica, & judicio exornati; atque gravissimas præterea causas ex stylo, & coævorum monumentis, ex limpidioribus fontibus aliis deductas habuerint; horum emendationibus adquiescendum erit. Sane hac methodo doctissimi PP. Benedictini Congregationis S Mauri, aliique viri doctrina & eruditione conspicui multa opera suis veris auctoribus, quibus sæculis barbaricis, quum severior *critica* e scholis exularet, detracta fuerant, aliisque tributa; restituerunt.

§. XXXIII. Ad secundum. Si utrumque certo constet; palam, & sine controversia est, opera suppositítia esse,ac notha. Ad tertium.Quo egregia id genus opera spuria, & assuta dicamus, certo constare debet, eos, quibus inscribuntur, ad obitum usque rudes fuisse semper, & imperitos. Alioquin si *supernaturalis* aliquid ac *miraculosi* ipsis acciderit, quo, expulsis pristinæ ignorantiæ tenebris, eorum mentes divinitus edoctæ, & collustratæ fuerint; genuina ea tunc maxime reputanda, & autographa. Exemplum habemus in Apostolis, Petro scilicet, Joanne, Jacobo, & Juda; qui tametsi rudes prius essent, & piscatores; ipso nihilominus Penthecostes die sic divinitus afflati fuere, atque in viros doctos ac sapientes commutati, ut ad primam Petri concionem eadem die habitam Christi fidem susceperint *circiter tria millia, perseverantes omnes in doctrina Apostolorum*; quemadmodum Cap. II. legitur *Actuum apostolicorum*.

§.

§. XXXIV. Postremo tandem dubio, ut oportet, satisfacientes, dicimus, diligenti studio pervestigandum, quasnam causas habuerint, qui datorum operum autographiam in dubium verterunt. Nam si satis firmæ ac perspicuæ fuerint; merito laudandi, nec ab eorum judicio recedendum. Sin autem præfracte, & ad libidinem ea dubitatio inducta fuerit; minime tunc audiendi. Scilicet mos olim hæreticis fuit, estque etiamnum hodie, illos divinæ Scripturæ libros tanquam suppostitios, & apocryphos repudiare, in quibus ipsorum errores confoderentur. Ea de causa Evangelium Joannæum repudiavere olim Alogi, Epistolas Paulinas Cerinthiani, alii libros alios. Eademque de causa rejiciunt hodie Novatores libros Machabæorum, Epistolam Jacobæam, similes; quod in illis eorum errores de *purgatorio*, in hac vero de *necessitate bonorum operum ad salutem* perspicue damnentur. Ea igitur impura Christianorum fex generose spernenda, soliusque Ecclesiæ, ac nobilissimorum Patrum omnium temporum, omniumque sæculorum judicio, & attestationibus firmiter inhærendum.

§. XXXV. Sed ad integritatis, & corruptionis Librorum indicia præcipua progrediundum. Observatum paullo superius (§. 27.), quum dolo ac fraude, tum bona fide, atque ad uberiorem lectorum utilitatem & commodum mutilari ac interpolari aliorum libros posse, ac imo solere. Quibusnam igitur *mediis*, *criticæque* præceptis integros a corruptis distin-

xerimus? Scilicet præcipuum, simulque tutissimum integros, incorruptosque libros agnoscendi medium fuerit, si a coævis, & continuata serie sibi succedentibus per subsequentia sæcula scriptoribus quum partes illorum omnes memorentur, quæ in illis modo leguntur; tum nulla prorsus desideretur illarum, quarum iidem meminerunt. Ubi enim utrumque simul constat, constabit consequenter, nullam umquam factam in illis fuisse mutilationem, interpolationem nullam; ideoque esse id genus libros integros, & incorruptos. Contraria ratione differendum de corruptis. Ita quia singuli N. T. versiculi, qui modo in sacris codicibus leguntur, non memorati tantum, sed & commentariis suis a temporibus Apostolorum per subsequentia sæcula expositi, & collustrati a Patribus, aliisque viris illustribus fuerunt; nec unus quidem præterea deest illorum, de quibus hi mentionem fecerunt; ea de causa hujusmodi codices integros esse & incorruptos plena certitudine comprehendimus.

§. XXXVI. Tandem *apocryphiæ* non minus, quam *interpolationis* librorum promiscua signa esse possunt, si 1. errores in iis referantur, qui post scriptorum, quibus inscribuntur, tempora exorti fuerint. Si 2. dogmata iis prorsus contraria, & opposita contineant, quæ in genuinis eorumdem scriptorum operibus aliis constanter edocentur; nec vero alia emendationes, aut retractationes sint aliorum. Si 3. auctorum nomina in illis memorentur, qui post ipsorum

ætatem

ætatem floruerunt. Si 4. vocabula iis immiſceantur, quæ ab eorumdem ætate aliena fuere, nec orta ea ſint, & in ſcholas invecta niſi ſequioribus ævis. Si demum 5. in vetuſtis catalogis, in quibus cetera eorumdem auctorum Opera relata ſunt, minime inveniantur. Quæ ceteroquin ſuppoſitionis potius, quam corruptionis librorum ſuſpicio cenſenda. Ac ſuſpicio quidem; quia ejus ſilentii cauſæ potuerunt eſſe plures; ut inferius dicam. Mitto cetera leviora.

CAPUT V.

De artis criticæ uſu in hiſtoricarum veritatum inquiſitione, pro varia teſtium ætate, numero, ſagacitate, probitate, doctrina, narrandi modo, ſilentio, ac rerum, quas narrant, admirabilitate.

§. XXXVII. Conſtitutis præcedenti capite *criticæ* præceptis, quibus genuina & incorrupta auctorum opera dignoſcantur; facillimum nunc fuerit, qui *veri* hiſtorici habendi ſint, qui *ficti*, quique poſtremo *dubii* & incerti, internoſcere. *Veri* ſcilicet cenſendi, quorum nomina in genuinorum librorum titulis inſcribuntur. *Ficti*, quibus tribuuntur in eiſdem titulis opera ſuppoſititia, & apocrypha. *Dubii* demum, de quibus non ſa-

tis constat; sintne datorum Operum auctores. Ea autem omnino nosse juvat, ac imo oportet, ut *verorum* historicorum characteres perspectos habeamus; ac ita quantane fides eorum narrationibus adhibenda, intelligamus.

§. XXXVIII. Historici, qui quidpiam narrant, modo multiplici inter se conferri, & comparari possunt, comparatione nedum *simplici*, ut ego quidem adpello, sed & multipliciter *composita*. *Simplex* historicorum aliquid narrantium comparatio fit, quum ceteris characteribus utrinque paribus præsuppositis, in uno tantum inter se conferuntur: puta in ingenii perspicacitate, aut in severitate judicii, aut in præcellentia doctrinæ, in similibus. Fit autem collatio *composita*, quum in pluribus simul characteribus ea instituitur: e. g. in ingenio, doctrina, judicio, probitate conjunctim. Ex singulis porro comparationibus istis sive *simplicibus* sive *compositis* intelligere possumus, in quanam inter se ratione sint pondera narrationum ipsorummet historicorum: & cuinam proinde ex illis majorem, aut minorem fidem præstare debeamus. Quin si per tempus eam rem evolvere minutatim liceret, singulas collationes possibiles totidem *algebricis*, atque *arithmeticis* formulis exhibere possemus. Sed odi semper de industria otiari.

§. XXXIX. His generatim præobservatis, rem ipsam propius attingamus, atque ex multis possibilibus Historicorum inter se comparationibus potiores, & quibus facillimum

fuerit

fuerit evolvere ceteras, seligamus. Principio igitur ætatem quod spectat (§. 37.), testes coævi majorem, suppares minorem, recentiores minimam, vel etiam nullam fidem in facti narratione promerentur. Coævi namque purius ac distinctius scire illud potuerunt: minus limpide, minusque distincte suppares: recentes autem, nisi per horum monumenta id sciveerint, nulla alia ratione in illius intelligentiam devenire potuerunt (§. 4.). Deinde major fides adhibenda testibus oculatis, quam auritis. Rem namque gestam priores propriis ipsi oculis perspexerunt: posteriores autem orali traditione ab aliis accepere. Longe nunc facilius fuerit in traditionem aliorum, quam in propriam experimentalem facti cognitionem erroris aliquid, & aberrationis irrepsisse. Rursus, ceteris paribus, plus credendum multiplicitati, quam paucitati historicorum, rem eamdem diversimode narrantium. Facilius est enim paucos, quam plures, qui rei gestæ interfuerunt, illudi potuisse. Verum ceteris, inquam, paribus (quæ conditio ubique fere intelligenda). Enimvero si pauciores illi ingenio perspicaciores fuerint, & in judicando severiores, necnon moribus probiores ac veraciores; palam, & sine controversia est, horum narrationem narrationi illorum jure ac merito esse præferendam: quia his in casibus & minus decipi ipsi, & minus nos quoque decipere potuerunt.

§. XL. Ad hæc testes doctiores, sagaciores, ac veraciores testibus anteponendi semper mi-

nus doctis, minus sagacibus, minusque veracibus. Sunt enim ab errandi periculo, ac decipiendi fraude longe remotiores, ac liberiores. Preterea rem *historice* narranti major, *oratorie* minor, *poetice* omnium minima fides adhibenda. Est horum ratio manifestissima; quia historicus solius veritatis diligens explorator, & enarrator, rem prout gesta est, stylo tradit simplicissimo. Orator autem eloquentiæ floribus aut exaggerat nimium, aut plus æquo imminuit. Poeta demum fabulas, ac phantasiæ ludos, quibus de more oblectatur, persæpe immiscet. Rursus minus audiendus historiographus, qui in rei gestæ narratione in alterutram partem propendet, quam qui nullo partium studio, sed solius veritatis amore quidpiam scribit. Affectus namque obnubilando rationem, ac voluntatem depravando, historicos ad decipiendum, & illudendum paratissimos reddunt. Quid si demum coævus, aut oculatus testis rem narret, interea dum ceteri omnes illam silent coævi historiographi? Scilicet nihili horum *silentium* faciendum, ac illius attestationi tenaciter inhærendum *positivæ*. Qui porro rem tacet, illam haud propterea negat: ac multiplici de causa fieri potuit, ut silentio præterierit, puta ignorantia, inertia, timore, obsequio, negligentia, oblivione, rationibus, aut affectibus, causisque aliis, quæ potuerunt esse plurimæ. Itaque *argumentum*, quod ex hujusmodi silentio desumptum *negativum* adpellant, ad probandum æque ac refellendum satis ineptum.

Equi-

Equidem tot circumſtantias in Chriſti paſſione a Joanne e. g. enarratas quiſnam ſuſpectas; aut omnino falſas jure idcirco putaverit, quod ceteri eas ſiluerint Evangeliſtæ?

§. XLI. Quid ſi etiam id genus facta hiſtorici narrent, quorum circumſtantiæ vel pugnant inter ſe mutuo, vel non ſatis cohærent? Scilicet aut illuſionis ea indicia ſunt, aut fraudis: ut proinde nulla ſit illis fides adhibenda. Quemadmodum nec ulla quoque in poſterum præſtanda illis, quos falſiloquos aliquando experti ſumus, atque mendaces. Scilicet *ubi ſemel quis pejeravit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos juret, non oportet*: ajebat ſapienter Tullius *pro C. Rubirio Poſtumo*. Prudens quippe ſemper ſuſpicio ſubeſt iteratæ fraudis, novæque malæ fidei, ac promptæ ad decipiendum inclinationis. Quin ex Ariſtotele juſta mendacium hominum pœna eſt, *ut quum vera loquuntur, ipſis non credatur*. Ceterum, ut ad primum illud redeamus, in narrationibus hiſtoricis circumſtantiarum uniformitas, ac mutua cohæſio magni faciendæ ſunt, atque velut prima, & *intrinſeca* veritatum hiſtoricarum indicia, *notæque charaсteriſticæ* ſpectandæ (lib. I. §. 120.). Natura quippe pugnantia non admittit: & quæ ſecum ipſis non ſatis congruunt, ratio vix adduci poteſt, ut credat: ut romanorum claſſem e. g. ſpeculo uſtorio prope Syracuſas ab Archimede fuiſſe incenſam; quod eſt a Galeno, aliiſque enarratum. Qua namque arte, & quibuſnam inſtrumentis parari tam magna ſpecula po-

poterant, ut tot naves in mari e littore incenderentur? . . . .

§. XLII. Supereſt jam tandem, ut de prodigiorum, ac miraculorum atteſtationibus paullo adcuratius differamus. Sunt ea enim momenti graviſſimi, ac tantopere cum *Deiſtis*, ac *Libertinis* hiſce noſtris temporibus diſputata. *Miraculum*, ut ab ipſius definitione initia ducam, *eſt effectus præter leges naturæ mechanicas productus; ac ſupra naturalium* proinde cauſarum vires *conſtitutus*. Nulla eſt enim, nec fuit umquam, naturalis cauſa, quantumvis robuſta, efficax, & actuoſa, quæ hujuſmodi naturæ leges ſuſpendere, immutare, multoque minus delere prorſus, ac evertere poſſit. Earum namque vires eiſdem potius legibus reguntur omnes, & attemperantur: nec alio illis excurrere licet, quam quo eædem leges ferunt. Itaque miracula ab eo tantum induci poſſunt, qui eas leges fixit, qui ſervat, qui moderatur: ſcilicet a ſolo Deo rerum omnium opifice, conſervatore, ac moderatore.

§. XLIII. Verum duplex in miraculis poſſibilitas diſtinguenda, *intrinſeca* ac *metaphyſica*, tum *extrinſeca* & *moralis*. Priori ſenſu poſſibilia miracula dicuntur, ſi nil contradictorii, nil repugnantis in ſe complectantur. Dicuntur autem poſſibilia ſenſu poſteriore, ſi *moralibus* Dei perfectionibus, bonitati in primis, veracitati, ac ſanctitati minime adverſentur. Porro miracula non repugnare intrinſecus, ac fore illa divinitus poſſibilia, jam mox obſervatum.

Sane

Sane si Deus hominem e. g. ex nihilo condidit, deditque illi & corpus, & spiritum, & vitam, & omnia; multo facilius poterit ex mortuis, quamquam sit id miraculorum fortasse maximum, suscitare. Quum quavis in re restauratio multo semper facilior sit primæva ipsius formatione (*a*). Nec etiam repugnare illa *extrinsecus*, iis scilicet in casibus, in quibus a Deo fiunt in confirmationem veræ Religionis, aut in virtutum moralium contestationem & adprobationem, atque in gravissimos ac beneficos fines alios pro hominum utilitate & commodo; non est in dubio. His enim in casibus *morales* Dei perfectiones nedum illa non lædunt, non tangunt, sed & commendant plurimum, ac majorem ipsis gloriam, decus, ac splendorem adaugent. Hinc cœco nato visum redditurus Servator ajebat discipulis suis, se eo miraculo *Dei gloriam manifestaturum*. Quin & alia miracula patraturus idem protestatus est sæpissime in Evangelio. Repugnarent autem *extrinsecus*, si eos fierent in fines, qui easdem perfectiones everterent, aut minimum obnubilarent: puta si fierent ad decipiendum, ad promovendam idololatriam, ad superstitionem protegendam, ad depravandos hominum mores, ad virtutes deprimendas, ad similia, quæ perfectio-

(a) Vide, quæ in intrinsecam miraculorum possibilitatem paullo superius (Lib. III. §. 91.) a nobis adnotata fuere.

fectionibus Dei moralibus, sapientiæ, veracitati, ac sanctitati adversantur.

§. XLIV. Quæ quum ita sint, facillimum nunc fuerit de miraculorum attestationibus juxta severiores *criticæ* leges judicia ferre. Scilicet quum miracula fiant a solo Deo; tum mechanicis naturæ legibus suspensis; ac nonnisi gravissimis de causis pro hominum utilitate & commodo: hinc caute admodum procedendum in eorum *realitate* credenda ac stabilienda. Ac historicis facta illa interdum narrantibus numquam fides adhibenda, nisi plena certitudine constiterit, nec in eorum cognitione & examine illusos fuisse ipsos, nec in eorumdem attestatione nos decipere voluisse. Alioquin aut ipsorummet phantasiæ illusionibus, aut confictis ad decipiendum fabellis, aut naturæ postremo phœnomenis, mirabilioribus tamen illis, nimiumque raris & insolitis accensenda. Equidem constanti naturæ cursui, ac naturali rerum mundanarum nexui, a quo miracula excluduntur, ingens proculdubio pondus inest, quod convelli nullo modo, nec humanæ auctoritati postponi unquam poterit, nisi ab omni prorsus quum illusionis, tum fraudis suspicione immunis, planeque liberrima ea fuerit.

§. XLV. Quemadmodum vicissim impudentis, maximeque pervicacis ac refractarii hominis foret, miracula aut rejicere prorsus, aut in dubium vertere, si fraudis & illusionis nulla prorsus suspicio occurreret in attestationibus. Propterea

pterea quod ſcilicet his in caſibus hiſtorici pleniſſimam fidem faciant rebus geſtis, quas narrant (§. 5. *ſeqq.*). Alioquin prudens ſuſpicio in illis ſubeſſet aut in tradendo fraudis, aut in credendo erroris, & illuſionis; vel deceptos nimirum fuiſſe illos, vel nos decipere voluiſſe: quod ceteroquin adverſatur hypoteſi. Verbo, ubi de *miraculis* agitur, æque devitanda nimia Libertinorum pervicacia, repudiandique licentia, ac nimia de more credulitas femellarum. Utendum multo *judicio*, multaque *critica*, ut ne vera miracula ex animi levitate credamus, quæ vera non ſunt; nec quæ ſunt vera, ex damnabili incredulitate falſa putemus. Sed ad poſtrema properandum.

CAPUT VI.

De critica ſacra in veritatibus ad religionem pertinentibus, atque per Scriptores divinitus inſpiratos nobis traditis.

§. XLVI. VEntum jam tandem ad Libri IV. totiuſque operis caput poſtremum, in quo potiora *criticæ ſacræ* tradenda præcepta, quæ divinas Scripturas ſive *dogmatice docentes* aliquid, ſive *hiſtorice narrantes* ſpectant. Potiora, inquam: uberrimam namque, abſolutamque ea de re exhibere tractationem Theologorum criticorum potius eſt, quam

quam Philoſophorum . Ea de cauſa conſulendi L. A. Muratorius de *Moderam. ingen. in religionis negotio* , P. Honoratus a S. Maria in *Animadver. ad regulas critices* , alii . *Sacram* eam vero *criticam* adpello quum ratione præceptorum , quæ magna ex parte ſacra ſunt ; tum ipſorummet ſacrorum Librorum , qui nedum ſacri , ſed & cæleſtes , & divini habendi , ac nuncupandi .

§. XLVII. Ut autem in ſcrutandis veritatibus ad religionem pertinentibus divinam auctoritatem ad *critices ſacræ* leges exactam majori cum fructu , ac feliciori cum ſucceſſu adhibere valeamus, quatuor meo quidem judicio præire, ſolidiorique doctrina, & eruditione comprehendi debent . I. Neceſſene fuerit , ut Deus hominibus loqueretur ? II. Loquutus ne illis revera ſit aliquando ? III. Quo in codice divina ejus eloquia contineantur ? IV. Quibuſnam præceptis eorum ſenſus ex divina mente eruendus , ac determinandus ? Primum neceſſitatem ſpectat divinæ revelationis . Secundum exiſtentiam . Tertium inquiſitionem , ac determinationem . Poſtremum intelligentiam . Singula utilitatis , & gravitatis plena , ea potiſſimum ætate , in qua Deiſtarum rabies , odiumque in religionem implacabile omnes intendit ingenii nervos , ut ab imis ea fundamentis radicitus, ſi fieri poteſt , convellat . Sed illuſtres chriſtianæ religionis Apologiſtæ , ſi ſæpe alias , hoc potiſſimum ævo noſtro ora conſuere ſæpius , denteſque contrivere loquentium iniqua . Nos heic

heic paucis, quoad locus feret, sed sufficientissime.

§. XLVIII. Principio igitur *necessitatem* quod spectat *divinæ revelationis*, quæ primo loco proposita, facillimum fuerit in ejus intelligentiam, plenamque persuasionem recta devenire, si hominem *integrum* probe distinxerimus a *corrupto*. Homini *recto*, & *integro*, & *perfecto*, qualem per infinitam Dei creatoris sui potentiam, sapientiam, ac bonitatem primum a se conditum, propriisque manibus conformatum esse oportuit; cujus scilicet arbitrium robustius, cujus ratio collustratior, cujus affectus sedatissimi, & qui familiari tandem Dei favore jugiter fruebatur; sufficientissima *naturalis religio* erat, quo finem suum consequi posset. Statim ac vero a Deo rebellavit, atque ratione obtenebratus, fractus arbitrio, affectibus exagitatus, solitoque Dei favore privatus evasit; adeo ut pravo ipsius exemplo iniquitas totum infecerit genus humanum, ne ipsis quidem summis gentilium Philosophis exceptis, qui, non minus ac ceteri homines, *evanuerunt*, Paulo teste ad Romanos scribente, *in cogitationibus suis . . . . & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*: post eam, inquam, universalem humani generis corruptionem, postque ea prorsus amissa præsidia, insufficiens prorsus evasit *religio naturalis* ad eumdem finem consequendum, ac necessaria esse cœpit *revelata*, ut & collustrari denuo *corrupti* hominis ratio obtenebrata posset, & fractum so-

solidari arbitrium, & æstuantes coerceri affectus, & Dei per Christum expiari offensa, ejusque favor & amicitia recuperari, & ad bene agendum, ut oportet, vires per nova potentiora auxilia augeri, ac roborari. Eodem prorsus modo quo homini sano ac vegeto sufficientissima sola ipsius crura sunt deambulando. Statim vero egere is baculo incipit, ubi claudus, viribusque confractus evaserit. Quod erat primum (a).

§. XLIX. Secundum. Loquutus ne autem revera sit Deus, ac promulgata proinde ne sit hominibus *revelata religio*; quum sit ea *quæstio facti*, testibus dirimenda est omni exceptione majoribus, de quibus nempe nulla prorsus nec

(a) Quum eam hominis *integri* & *corrupti* distinctionem non adverterent Tindal, aliique hujus furfuris Deistæ, factum est, ut *revelatam religionem* rejecerint, & oppugnarint tamquam homini, cui sola *naturalis* sufficeret, supervacaneam. Ea autem, ut oportet, admissa; & *naturalis* insufficientia, & necessitas *revelatæ* statim nunc ambæ in oculos incurrunt. Scilicet plantis rore cæli madidis ac refrigeratis supervacanea aquæ effusio ad radices, ut virescere possint: necessaria vicissim, si ros ob aeris siccitatem deerit. Corpori sano ac vegeto medicamenta inutilia pariter & supervacanea: necessaria contra, quum morbis affligatur, ac debilitatur . . . . Jam sæpe dictum, sæpeque pro opportunitate repetendum: magna errorum scatebra fuit semper, eritque in ævum neglecta rerum distinctio inter se maxime diversarum! . . . .

nec in tradendo fraudis, nec in credendo illusionis suspicio subsit. Hujusmodi est autem integra Judæorum synagoga: hujusmodi integra Ecclesia Christi, quarum illa per Prophetas, hæc per Apostolos Deum reipsa loquutum testificantur. Utriusque porro attestatio tanto veracior censenda, præterque omnem dubitationem ambabus ulnis excipienda atque probanda, quanto illa Prophetas, hæc Apostolos viros fuisse *publice*, ac longo annorum ductu experta est quum *prophetiæ spiritu*, tum *vi patrandi miracula* exornatos; ac doctrinam præterea docuisse illos naturali honestati ubique consentaneam. Attestationes enim duarum nationum integrarum, *testiumque simul oculatarum*, nisi sinceræ, veraces, atque ab omni fraude, & illusione liberæ & immunes habeantur, ecquænam, quæso, aliæ tales esse, haberique poterunt? Porro Deus, qui solus miraculorum patrator (§. 42.), solusque præscius futurorum, neutram illis vim contulisset, neutra vi eorum confirmasset missionem, nisi velut suos administros, revera illos elegisset, atque ad doctrinam *revelatam* hominibus *sedentibus in tenebris, & in umbra mortis* promulgandam destinasset. Pugnat namque cum *moralibus* ipsius perfectionibus, sapientia in primis, veracitate, ac sanctitate sive patratione miraculorum, sive futurorum prædictionibus eventu completis, sive, quod magis est, utrisque simul, falsi quidpiam, atque mendacis ad homines decipiendos confirmare. Decipere

pere namque aut inscii est, aut maligni, aut mendacis. Quæ a mente omniscia, optima, perfectissima longe aliena. Quod erat secundum.

§. L. Tertium. Sed quonam in Codice divina hæc eloquia continentur? Est hæc alia *quæstio facti* tertio loco (§. 47.) proposita, cujus solutio consequens est præcedentis, ab eaque deducenda & colligenda. Quod fit nullo negotio. Scilicet *revelationis* administri fuere Apostoli, atque Prophetæ (§. præc.). In horum itaque libris divina eloquia continentur, in libris, inquam, veteris ac novi Testamenti. Esse autem hujusmodi libros *genuinos*, & *authenticos*, illa eadem *critices* principia ostendunt, quæ jecimus capite superiori (§. 28.). *Integros* præterea esse illos, & *incorruptos*, principia alia paullo post (§. 35.) tradita probant ad evidentiam usque. Ut proinde de codicibus utr. Test. sive quoad illorum *divinitatem*, sive quoad *autographiam*, sive demum quoad *integritatem*, nulla prorsus subsit errandi suspicio. Equidem divinitatis non minus quam genuinitatis, & integritatis sacrorum codicum magnum proculdubio, & ineluctabile argumenmentum est, quod integra Hebræorum natio, integra Ecclesia Christianorum eos semper tales habuerit, ac summa religione & cura diligentissime custodierit. Nulla aliorum quorumcumque librorum *genuinitas*, nulla *integritas* tanta testium nube, atque argumento probabitur umquam cum hoc comparando. In firmissimum hunc scopulum Deistarum jacula non illidun-

tur

tur modo, ſed & franguntur, & in pulverem conteruntur (*a*). Quod erat tertium.

§. LI. Poſtremum. Supereſt jam tandem poſtrema quæſtio quarto loco (§. 47.) propoſita, quæ *critices ſacræ* canones ac præcepta ſpectat, quibus in ſacris Codicibus verus ac germanus divinorum eloquiorum ſenſus ex Dei mente eruendus a nobis ſit, ac determinandus. Qui augendis rerum difficultatibus, ac ſtudioſæ juventuti a quibuſdam ſtudiis avocandæ fere intenti videntur, ea in interpretandis divinis Scripturis ſcitu neceſſaria proponunt, quæ magnis tantummodo ingeniis, eximiiſque viris

 per-

(a) Si centum, ac mille etiam mihi linguæ, calamique ſuppeterent, ultro omnes, & cum gratiarum actione impenderem in contexendis elogiis iis, qui *revelationis neceſſitatem*, & *exiſtentiam* adverſus Incredulorum perfidiam demonſtrarunt, acerrimeque propugnarunt. Puto enim, ſcientificos doctorum virorum labores numquam melius, majorique cum laude, & gloria impendi, niſi quum præſtantiora Dei beneficia, inter quæ iſtuc proculdubio præſtantiſſimum, humano generi ſumma munificentia collata ob oculos ponunt. Illud autem nondum ſatis intelligo, nec parum mœroris cordi adfert, dum illuſtres iidem *religionis* Apologiſtæ, iique catholici, tale tantumque argumentum velut informe, ac dimidiatum relinquunt, nec ad ſummum perfectionis culmen & apicem, ut oportet, deducunt. Siquidem ubi ad *chriſtianæ religionis veritatem* ſcribendo, demonſtrandoque *generatim* devenere, gradum plerumque ſiſtunt omnes, nec ultra, tamquam ſi res expleta jam, numeriſque omnibus abſoluta foret, pro-

perſpecta eſſe poſſunt. Ac in primis in hebraica, græcaque lingua magnam exigunt peritiam, ad familiaritatem. Deinde antiquitatum Judaicarum, finitimarumque nationum, præſertim Ægyptiorum, atque Perſarum plenam intelligentiam. Peſtremo veteris philoſophiæ perfectiſſimam comprehenſionem. Sine quibus præſidiis oportere, inquiunt, ſingulis in paginis divinorum Codicum a recto tramite aberrare.

§. LII. Verum poſtquam laborioſa itinera iſthæc pluries iniverunt, eorumque ſemitas inſtar *viæ regiæ* immenſa cura ac diligentia latiſſime

---

progrediuntur. Quaſi quod, inquam, ea in tot ſectas, tamque inter ſe moribus, dogmatibus, ritibuſque pugnantes & oppoſitas ſciſſa atque diviſa non ſit; vera autem, ſancta, & a Deo cælitus immiſſa *religio* eſſe non oporteat niſi una! Munus itaque catholici ſcriptoris, illudque prætcrea inviolabile fuerit, ut poſthac ulterius generoſe prætergreſſus ſimul oſtendat, veram Chriſti religionem in ſola catholica, romanaque Eccleſia contineri; ſectaſque proinde ceteras non eſſe niſi hæreticorum conventicula, & a vera religione deſertorum. Porro has partes paucis, quoad locus feret, ſupplere mox curabimus ſubſequentibus §§. 53. & 54: præſertim quum recentium quorumdam hæreticorum, in primis Joannis Clerici eo evaſerit audacia, ut in immortali Opuſculo H. Grotii *de veritate religionis chriſtianæ*, quibuſdam cum additamentis ab ſe recuſo contendat, demonſtrareque adnitatur, religionem chriſtianam, quam veram *generatim* oſtendit Grotius, aliam non eſſe niſi *Arminianam*, ſive *Anabaptiſtarum*. Quis crediderit ? . . . .

tissime jam straverunt viri docti; quorsum in eumdem labyrinthum omnes indiscriminatim injicere velle, atque ab studiis tantopere utilibus ac necessariis retrahere quodammodo, & absterrere? Dicamus potius, si magna ingenia id genus itinera remeare voluerint, ab hujusmodi præsidiis opportere initia sumere: aliis, qui ad id minus idonei videntur, sat esse, si illustrium virorum laboribus grato animo perfruantur. Enimvero sacrorum Codicum tam exactæ, tamque adcuratæ *latinæ* jam prostrant *Versiones*, ac tam ditissima, & eximia in eas evulgata *Commentaria*, ut nulla umquam privatorum annosa studia exæquare posse illa videantur. Sed pergamus, atque potiora *critices sacræ* præcepta paucis proponamus.

§. LIII. Primum autem *criticæ*, & *hermeneuticæ sacræ* præceptum in divinarum Scripturarum interpretatione nulla umquam oblivione delendum, nobis erit isthuc: consulendum nempe semper catholicæ Ecclesiæ judicium, atque quidnam datis in locis ipsa sentiat, immobili adsensu, plenaque persuasione probandum, ceterisque præferendum. Huic enim concredita sunt eloquia Dei. Hæc *columna*, & *firmamentum veritatis*. Huic perpetua Servatoris adsistentia *usque ad consummationem sæculi* ab eodem sæpe promissa. Huic ab ipsomet Servatore dictum: *Portæ inferi non prævalebant adversus eam*. Ejus demum visibili capiti pollicitatio facta: *Pro te rogavi, Petre, ut numquam deficiat fides tua. Et tu aliquando con-*

 versus,

versus, confirma fratres tuos.

§. LIV. Catholicæ, inquam, ideſt romanæ Eccleſiæ judicium ea in re conſulendum, eique ſoli eas infallibilitatis promiſſiones eſſe factas; propterea quod ea ſola *notas characteriſticas* præſeferat *veræ Chriſti Eccleſiæ*, quæ non eſt niſi una. Sunt hæ namque triplici potiſſimum in claſſe conſtitutæ, quarum prima eſt *doctrinæ identitas* cum illa Apoſtolorum; de qua identitate Paulus ad Galatas I: *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Secunda *continuata*, nec umquam interrupta *paſtorum ſucceſſio*, de qua Servator apud Joannem capite poſtremo: *Paſce agnos meos .... paſce oves meas*: quæ primum D. Petro dicta, ſucceſſoribus quoque poſt illius mortem omnibus & ſingulis inculcata intelliguntur, quouſque ad conſummationem ſæculi Eccleſia, quæ ſine paſtoribus eſſe non poteſt, ſit duratura. Poſtrema tandem *communicatio donorum Spiritus Sancti*, de quibus idem Apoſtolus I. Cor. XII: *Unicuique* (in vera Chriſti Eccleſia) *datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem .... Alii datur gratia ſanitatum .... Alii operatio virtutum .... Alii prophetia: Alii diſcretio ſpirituum: Alii genera linguarum* (a). Quæ characteriſticæ veræ

(a) Sunt apud Theologos, in primis apud Card. Bellarminum, & aliæ veræ Eccleſiæ *notæ*. Sed hæ mihi potiores videntur, & ad rem ſine exceptionibus plane evincendam efficaciores.

ræ Christi Ecclesiæ *notæ* ut catholicæ, ideſt romanæ Ecclesiæ inſunt, ita fruſtra eas viciſſim perquireres in hæreticorum conventiculis, ſectiſque quibuscumque. Ac ineſt illi quidem nota prima, *doctrinæ* nimirum *identitas* cum illa Apoſtolorum. Quippe quum ex conſtanti Conciliorum omnium praxi nihil in ea umquam credendum proponatur, *niſi quod ab omnibus, quod ubique, quod ſemper creditum*; ideoque *quod* a Chriſto, & Apoſtolis ſive ore, ſive per epiſtolas *traditum* fuit. Sed ineſt quoque & ſecunda, *continuata* ſcilicet, nec umquam interrupta in Petri cathedra *paſtorum ſucceſſio*. Enimvero in romana ſede D. Petro ſucceſſit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens, ac ita porro uſque ad Pium VI. jam feliciter regnantem. Qua de re proſtrant tabulæ chronologicæ, in quibus romanorum Pontificum anni, menſes, dieſque computantur. Ineſt poſtremo & *nota* tertia, ideſt *communicatio donorum Spiritus Sancti*, *vis* in primis *prophetica*, & *miraculorum*. Id quod non aſcetarum quidem libelli, ſed eccleſiaſtici Annales, ſed Acta Sanctorum, ſed Martyrologia, ſed publica monumenta alia, a viris non doctrina tantum & probitate illuſtribus, ſed & *ſumma* etiam *critica*, ac *judicio rigidiſſimo* præditis collecta & expurgata, demonſtrant ad evidentiam uſque. Contra vero ac in quorumlibet hæreticorum ſectis ſeſe res habet, quarum dogmata *nova*, & *falſa*: quarum paſtores, ideſt hæreſiarchæ *recentes*: quarumque cultores *prophetiæ* ac *miraculorum vi*

 prorſus

prorſus deſtituti. Quibus de rebus poſt Theologos legendi Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores, atque Chronologi.

§. LV. Eſt autem & principium alterum magni quoque faciendum. Sectanda nimirum veſtigia Patrum, ab eorumque ſenſu & interpretatione, quum uniformi judicio in idem conſpirant omnes, nuſquam recedendum. Sunt enim Patres *doctores* illi, quos teſte Paulo, ad erudiendam Eccleſiam ſuam providentiſſimus Dominus pro opportunitate in illa excitare ſolet. Ergo dum in idem omnes conſentiunt, communique calculo eumdem Scripturarum ſenſum eruunt, nobiſque proponunt, ejus inſtinctu, & afflatu loqui intelligendi ſunt, qui eos in Eccleſia pro opportunitate excitat. *Tales quippe, ac tanti viri*, de illis contra Julianum ajebat S. Auguſtinus, *ſecundum catholicam fidem hoc verum eſſe confirmant; ut veſtra fragilis, & argutula novitas ſola auctoritate conteratur illorum*. Sane ſi *omni in re conſentio omnium gentium lex naturæ putanda eſt*; quod eſt ſapienter a Cicerone adnotatum; quanto magis velut *lex evangelica* putanda erit conſenſio omnium Patrum, qui *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, Paſtores, ac Doctores*, eodem docente Apoſtolo Epheſ. IV. miſſi ſunt? Quod ſi in diverſas abeant ſententias; liberum tunc fuerit, cui melius placuerit, ſubſcribere: quia humano tunc ſenſu loqui jure ac merito reputantur. Quemadmodum & humano quoque ſenſu loquuntur, quum Philoſophorum vices gerunt. Scilicet

illu

illustris theologi Melchioris Cani illud *de Locis theol.* lib. VII. cap. 3: *Ecclesiæ Patres quum in philosophiæ incidunt quæstiones, aut vulgi, & rethorum opiniones sequuntur; aut etiam quas a platonicis acceperant, in christianorum scholas invehunt*. Quocirca his in casibus *tantum eorum dicta valebunt apud cordatos viros*, subdit opportune Muratorius, *quantum rationibus, & robustissimis, nec fallacibus, argumentis nitentur*.

§. LVI. Tertium. Iis autem in Scripturæ locis, in quibus auctoritatem suam nondum interposuit Ecclesia, nec Patres communi calculo eorum sensum determinavere; ea interpretatio adhibenda, quam *artis hermeneuticæ* leges ferent; quæque cum iis perfecte congruat, vel saltem non adversetur, *quæ ubique, quæ semper, quæ ab omnibus*, quod sapienter monitum Lirinensi, *credita sint*. Quæ namque sunt talia, nonnisi a Christo, & Apostolis Ecclesiæ fuere tradita. Ideoque quamdiu adversus *profanas novitates* eadem semper religiose servantur, atque creduntur, eadem semper Christi Ecclesia perpetuari intelligitur. Quemadmodum vicissim humana conventicula a vera Christi Ecclesia disjuncta & avulsa merito reputantur, quæ *novitatis infamiam* præseferunt: cujusmodi sectæ omnes hæreticorum sunt, quæ in Ario e. g. in Nestorio, in Eutychete, in Calvino, in Lutero, in Socino, in aliis id genus nebulonibus initia habuere. Qua de re legendus illustris præsul Bossuet in Historia *sulla variazione*

delle

delle chiese protestanti. Scilicet in Religionis negotio ejusdem Lirinensis illud in *Commonitorio* aureis characteribus exarandum : *Eadem, quæ didicisti, doce: ut QUUM DICAS NOVE, NON DICAS NOVA*. Omnis namque in Religione profectus & incrementum non *in novitate*, aut *in mutatione vetustatis* situm est; sed in ampliori dumtaxat veterum dogmatum explanatione, & commentatione.

§. LVII. Quartum. Præterea velim, divina Biblia non prius tangantur manibus, non prius legenda aperiantur, quam ex imo corde, castaque mente precibus antea ad Deum fusis, supernoque lumine humillime implorato. Quum enim nimis profunda, ac mysteriorum plena sint eloquia Domini; tutior, ac promptior scrutandi, adsequendique via fuerit, si eorum manifestatio, & intelligentia ab ipsomet loquente Deo, luminumque parente efflagitetur. Quo in loco recolenda, quæ superius (Lib. III. §. 90.) a nobis adnotata fuere. Ceterum quum hæc inculcanda putamus, illud iterum, serioque monemus, ut propriam quisque interpretationem ad Ecclesiæ catholicæ dogmata, ad sanctorum Patrum doctrinam, tamquam ad lydium lapidem adcurate exigere numquam prætermitat. Ita quippe & *sacra* semper servabitur *vetustas*, & *profana* ubique *novitas* devitabitur. Alioquin si *privatum* quisque *spiritum* pertinacius sectandum contendat, innumeris erroribus, atrocique bello Religio exponetur: ut in Quakeris, in Calvinianis, in aliorum phanaticorum

sectis

fectis moerentes observamus, apud quos prætextu *interni afflatus* quot capita, tot dogmata inter se pugnantia & opposita adoptantur. Scilicet imitandum memorabile ipsiusmet Apostoli exemplum, qui tametsi ad Apostolatum ab ipsomet Servatore vocatus & adsumptus esset; atque doctrinam, quam prædicabat, *per revelationem Jesu Christi* accepisset; conferre nihilominus Jerosolymis voluit illam cum Petro, Joanne, & Jacobo: *Ne forte in vanum curreret, aut cucurrisset*; quemadmodum ipsemet scribit in capite II. epistolæ ad Galatas.

§. LVIII. Postremum. Quum constat, quidquam a Deo nobis revelatum, sive *historiam* spectet illud, sive *doctrinam*, longe infallibilius (si quidem ita loqui fas est) reputandum, quam *primæ* naturalium disciplinarum *veritates*, quam *prima axiomata*, quam *prima scita*. Nititur id quippe suprema Dei ratione, & auctoritate: qui ut infinite sapiens & intelligens, falli nequit; ut infinite bonus ac beneficus, nequit fallere. Quum vicissim humana ratio imbecillitate sua, affectuumque subagitatione magnis sæpe deliquiis subjiciatur. Hinc Apostolorum princeps B. Petrus, licet redemptionis mysteria propriis ipse oculis perspexisset; *prophetias* nihilominus, quæ eadem mysteria spectabant, *firmiores* adpellat propria oculari inspectione: *Habemus*, inquiens, *firmiorem propheticum sermonem*, & quæ eadem in Epist. II. cap. I. sequuntur lectu dignissima.

§. LIX. Omnis igitur de veritatibus Religionis

gionis inquisitio, omnis labor, omne studium huc collimare debet, ut certi tutique reddamur, vere illas in divinis eloquiis contineri; vereque proinde esse a Deo revelatas. Ubi id constiterit, nil quærendum erit ultra, non earum rationes, non modi, non fines, non nexus, non comprehensiones, non quidvis simile; sed pacata tunc illis mente, plenaque cordis persuasione adquiescendum, *intellectum captivando in obsequium fidei*. Nam vel ipsamet *humana ratio* nos abunde revincit, menti infinite intelligenti, infiniteque potenti infinita perspecta esse posse, quæ exiguas, & imbecillas humanæ intelligentiæ vires prætergrediantur. Quinimmo in ipsamet *natura* infinita propemodum sunt, de quorum veritate ambigere non possumus; licet nullo modo intelligamus: ut animalium generatio, ut evolutio plantarum, ut motus cordis, ut mentis corporisque commercium, ut millena his similia. Sit itaque adversus impiorum conatus, atque contra subnascentes fortasse in mysteria fidei dubitationes omnes firmissimum propugnaculum istuc in ore semper, & in corde habendum: A DEO, QUI NEC FALLI, NEC FALLERE POTEST, IN SCRIPTURIS SANCTIS HOC MIHI REVELATUM. VERUM IGITUR, FIRMITERQUE CREDENDUM: QUAMQUAM ID NULLATENUS INTELLIGAM. Atque de *arte inquirendi veritates historicas*, deque Opella integra A. M. D. G. hucusque.

F I N I S.

EMINENTISS. SIGNORE

PAolo di Simone pubblico ſtampatore in queſta città di Napoli ſupplicando eſpone, come deſiderando di ſtampare un Opera intitolata: *Ars inquirendæ veritatis* del P. Vincenzo Faſanelli Minore Oſſervante, prega l' Eminenza V. commetterne la reviſione a chi meglio le parerà; e lo riceverà a gratia *ut Deus &c.*

A. R. Dom. D. Cajetanus Giannattaſio S. Th. Profeſſ. revideat, & in ſcriptis referat.

Die 18. *Septembris* 1786.

ANTON. EPISC. ORTHOSIÆ V.G.

Joſeph Roſſi Can. Dep.

EMINENTISS. SIGNORE

QUeſta volta più che in ogni altra ò avuto grandiſſimo piacere d' eſeguire gl' ordini di V. Eminenza, cogli quali mi impuneva di rivedere la dottiſſima Opera intitolata: *Ars inquirendæ veritatis* del P. Vincenzo Faſanelli Minore Oſſervante uomo pio, e dotto. E poiche in eſſa non vi ò ritrovata coſa, che ſia contraria alla Fede, ed alla Morale evangelica; anzi vi ò ammirato una ſana dottrina, e profonda meditazione; ſtimo, ſe pure altrimenti non piacerà a Voſtra Eminenza, poſſa darſi alla pubblica luce delle ſtampe; onde i giovani apprendano oltre agli canoni logici chiaramenti in eſſa eſpoſti, i principj benanche di un ottima

ma Morale sparsi con somma avvedutezza in tutta la sudetta Opera.

Napoli 2. Decembre 1786.

D. V. Eminenza

Obligatissimo, favoritissimo servo
Gaetano Giannattasio Parroco de' Fiorentini.

Attenta relatione domini Revisoris, imprimatur. Die 3. Januarii 1787.

ANTON. EPISC. ORTHOSIÆ V.G.
Joseph Rossi Can. Dep.

S. R. M.

PAolo di Simone pubblico stampatore supplicando espone alla M. V. qualmente desidera stampare un Opera intitolata: *Ars inquirendæ veritatis di Fr. Vincenzo Fasanelli dell'Ordine de' Minori Osservanti*. Pertanto supplica la M. V. di commetterne la revisione a chi meglio le parerà; e l'averà a gratia *ut Deus*.

Rev. P. D. Emmanuel Caputo in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in scriptis referat, potissimum an quidquam sit in eo, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur, & utilia statui pertractentur. Verum pro executione Regalium ordinum diei 20. *Maii currentis anni*

idem

idem Revisor cum sua relatione directè ad nos trasmittat etiam autographum prædictum, ad finem &c. Neapoli die 9. Septembris 1786.

J. A. TARSENSIS C. M.

S. R. M.

MAndatis tuis obtemperans diligenter perlegi opus, cui titulus: *Ars inquirendæ veritatis in usum studiosæ juventutis*. Et quum in eo non invenerim, quod juribus Majestatis officiat, ideo typis edendum censeo. Datum in Monasterio SS. Severini & Sósii die 21. Decembris anno 1786.

Humillimus servus

E. Caputo P. Professor.

Die 18. *Mensis Januarii* 1787. *Neap.*

Viso Rescripto suæ Regalis Majestatis de die 6. currentis mensis, & anni, ac relatione R. P. D. Emmanuelis Caputo, de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis. Regalis Camera sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti revisoris; verum non pubblicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat, servata forma Regalium ordinum: ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.

SALOMONIUS. PATRITIUS. TARGIANO.

Vidit Fiscus Reg. Cam.

Illustris Marchio Citus Præses S. R. C. & ceteri Ill. Aularum Præfecti tempore subscript. impediti. Athanasius.

Errata typographica	*Corrigenda*
Pag. xv. lin. 26. geratim	generatim
xvi. l. 1. continent	continet
33. l. 4. plurimaque	plurima
62. l. 27. malumqae	malumque
93. l. 4. CXVIII.	CXVII.
96. l. 26. CXTIII:	CXVIII.
95. l. 17. iutrinſecas	intrinſecas
133. l. 4. ſpectaculo	ſpettacolo
147. l. 2. adminiſtratione	admiratione
159. l. 24. tandemſque	tandemque
171. l. 12. infinitas	in finitas
182. l. 2. deſtrunt	deſtruunt
184. l. 6. ut plurimum	utplurimum
197. l. 25. ſnmmum	ſummum
200. l. 7. Peecatum	Peccatum
212. l. 26. gettula	guttula
219. l. 30. rata	rara
227. l. 9. *Anacroniſmis*	*Anachroniſmis*